This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gh 44
441.30

Harvard College Library

FROM

Francis N. Fobes

QUAESTIONES

HERODOTEAE.

SCRIBEBAT

CAROL. GUIL. LUD. HEYSE

PHIL. DR.

PARTICULA I.

DE VITA ET ITINERIBUS HERODOTI.

BEROLINI,

IMPENSIS FERD. DUEMMLERI.

1827.

Gh 44.441.30

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
FRANCIS H. FOBES
AUG 30, 1921

PROOEMIUM.

Identidem pertractanti mihi praeclari patris historiae libros, in quibus legendis tam rerum summa gravitate et varietate, quam orationis amoena simplicitate et dulcedine mirifice retinebar, offensioni semper erat dialecti in nostris quidem editionibus inconstantia. In qua sublevanda quum plures eosque doctissimos viros frustra desudasse vidissem, eo non me deterreri sivi, quo minus et ipse genuinam scripturae faciem revocare tentarem, atque, si non in levioribus omnibus constantem sibi reddere possem auctorem, accuratius tamen eam in quaestionem inquirendo statuerem, quibus in formis variare, quibus sibi constare putandus sit, quaeque omnino sit ratio dialecti Herodoteae; quo castigatiori et ad priscum habitum propius accedenti contextui via certe muniretur.

Vix autem operam eam aggressus sensi, fundamento quodam ampliori opus esse, quo eam ex-

struam, quoque ipse firme insistam, ideoque ante omnia de fatis et indole cum ipsius auctoris, tum operis eius diligenter esse explorandum, ut ex his necessariis ambagibus deinceps ad propositum meum paratior reverterer. — Quod quum persuasum mihi haberem, converti me primum ad ea, quae Viri Docti ista de re disseruerunt; in quibus tamen eo minus acquiescere potui, quod non modo nonnulla minus accurate disputata inveniebam, sed a recentissimis quibusdam res novas moveri, quaeque diu apud omnes valuerant labefactari videbam. Recurri igitur ad ipsos antiquos fontes, omnibusque veterum de Herodoto testimoniis sedulo collectis quaestionem de integro instaurare mihi proposui. Atque huius disquisitionis primam hisce litteris particulam, quae de ipsius Herodoti vita et itineribus agit, benevolis lectoribus offero, quam, ubi non plane improbata Viris Doctis fuerit, mox reliquae partes de operis Herodotei fontibus, fatis, externa conditione et habitu, de ipsius scriptoris indole fideque historica a multis addubitata, de eius elocutione scribendique genere, atque postremo de dialecto Ionica, imprimis Herodotea, excipient.

Iam paucis exponere mihi liceat, quae potissimum praecipienda mihi in quaestionibus huiuscemodi

historicis duxerim. Ex quo enim insignibus quibusdam exemplis caeca, quae antiquitus traditis rebus olim adiungebatur fides est sublata, contrariam prorsus in partem, eo nimirum res deducta est, ut, veterum testium contempta aut cupide detorta auctoritate, suas opiniones singuli quique pro veritate nobis obtrudere studeant. A quo vitio ut liberum me praestarem, id maxime mihi cavendum duxi, ne quid cupidius, quam verius. Malui igitur inscitiam profiteri, quam opinionis commenta veritatis colore fucare; itaque si qua erant, quae disceptare aut ob testium penuriam vel dissensionem, aut ob virium mearum tenuitatem desperarem, ea satius duxi in ambiguo relinquere, doctioribusque iudicanda demandare, quam ubique certum aliquid pronuntiando imperitos in errorem inducere, peritioribus denuo inquirendi molem obiicere. Malui denique sobrii fidique scrutatoris, quam ingeniosi sagacisque commentoris laudem mereri.

Eam tamen laudem quam multum absit ut plane meritus sim, probe ipse sentio. Praeterea haud dubie verbosior, quam res flagitabat, docto lectori videbor; quod vitium rogo ut perspicuitatis studio, cui nimis fortasse indulgebam, condonet. Nonnulla sane verbo praecidi potuissent, nisi oppugnatoribus fuisset

resistendum atque veluti pro aris et focis ipsius historiae certandum. Quem conatum vehementer laetabor si non omnino male mihi cessisse iudicaverint Viri Docti, qui ut benevole has meas in hoc litterarum genere primitias excipiant aequoque iudicio submittant, etiam atque etiam rogo et exopto.

Scribebam Berolini mens. Sept. a. MDCCCXXVI.

I.

De Herodoti anno natali, patria, parentibus et cognatis (obiter de Panyasi poëta), deque ineunte eius aetate.

Natum esse Herodotum Olympiadis 74 anno 1. sive a. Chr. 484. inter omnes constat. Debemus autem hanc anni natalis accuratam definitionem soli *Gellio*, qui scribit (Noct. Att. XV. 23.):

„Hellanicus, Herodotus, Thucydides, historiae scri„ptores, in iisdem temporibus fere laude ingenti „floruerunt, et non nimis longe distantibus fue„runt aetatibus. Nam Hellanicus *in initio belli „Peloponnesiaci* fuisse quinque et sexaginta an„nos natus videtur, *Herodotus tres et quinqua„ginta*, Thucydides quadraginta. Scriptum hoc „in libro XI. *Pamphilae*."[1])

Bellum Peloponnes. quum ortum sit Olymp. 87 a. 1. sive a. Chr. 431, natum Herodotum invenies quo diximus anno, sex annis post pugnam Marathoniam, quippe quae contigerit Olymp. 73, 3; a. Chr. 490;

1) *Pamphila*, Epidauria (secund. *Suidam*, quamquam *Photius* (Bibl. cod. 175) Aegyptiam eandem dicit, quae ita concilies, ut in Aegypto vixisse eam statuas) Neronis temporibus scripsit historiarum libros XXXIII. et epitomas Ctesiae aliorumque scriptorum. Citatur a *Gellio* etiam lib. XV. c. 17. N. A.; item saepissime a *Diogene Laertio*. — V. Ger. I. *Vossium* de histor. Gr. Lib. II. cap. 7. p. 192.

QUAESTIONES

HERODOTEAE.

SCRIBEBAT

CAROL. GUIL. LUD. HEYSE

PHIL. DR.

PARTICULA I.

DE VITA ET ITINERIBUS HERODOTI.

BEROLINI,

IMPENSIS FERD. DUEMMLERI.

1827.

Gh 44.441.30

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
FRANCIS H. FODES
AUG 30, 1921

PROOEMIUM.

Identidem pertractanti mihi praeclari patris historiae libros, in quibus legendis tam rerum summa gravitate et varietate, quam orationis amoena simplicitate et dulcedine mirifice retinebar, offensioni semper erat dialecti in nostris quidem editionibus inconstantia. In qua sublevanda quum plures eosque doctissimos viros frustra desudasse vidissem, eo non me deterreri sivi, quo minus et ipse genuinam scripturae faciem revocare tentarem, atque, si non in levioribus omnibus constantem sibi reddere possem auctorem, accuratius tamen eam in quaestionem inquirendo statuerem, quibus in formis variare, quibus sibi constare putandus sit, quaeque omnino sit ratio dialecti Herodoteae; quo castigatiori et ad priscum habitum propius accedenti contextui via certe muniretur.

Vix autem operam eam aggressus sensi, fundamento quodam ampliori opus esse, quo eam ex-

struam, quoque ipse firme insistam, ideoque ante omnia de fatis et indole cum ipsius auctoris, tum operis eius diligenter esse explorandum, ut ex his necessariis ambagibus deinceps ad propositum meum paratior reverterer. — Quod quum persuasum mihi haberem, converti me primum ad ea, quae Viri Docti ista de re disseruerunt; in quibus tamen eo minus acquiescere potui, quod non modo nonnulla minus accurate disputata inveniebam, sed a recentissimis quibusdam res novas moveri, quaeque diu apud omnes valuerant labefactari videbam. Recurri igitur ad ipsos antiquos fontes, omnibusque veterum de Herodoto testimoniis sedulo collectis quaestionem de integro instaurare mihi proposui. Atque huius disquisitionis primam hisce litteris particulam, quae de ipsius Herodoti vita et itineribus agit, benevolis lectoribus offero, quam, ubi non plane improbata Viris Doctis fuerit, mox reliquae partes de operis Herodotei fontibus, fatis, externa conditione et habitu, de ipsius scriptoris indole fideque historica a multis addubitata, de eius elocutione scribendique genere, atque postremo de dialecto Ionica, imprimis Herodotea, excipient.

Iam paucis exponere mihi liceat, quae potissimum praecipienda mihi in quaestionibus huiuscemodi

historicis duxerim. Ex quo enim insignibus quibusdam exemplis caeca, quae antiquitus traditis rebus olim adiungebatur fides est sublata, contrariam prorsus in partem, eo nimirum res deducta est, ut, veteram testium contempta aut cupide detorta auctoritate, suas opiniones singuli quique pro veritate nobis obtrudere studeant. A quo vitio ut liberum me praestarem, id maxime mihi cavendum duxi, ne quid cupidius, quam verius. Malui igitur inscitiam profiteri, quam opinionis commenta veritatis colore fucare; itaque si qua erant, quae disceptare aut ob testium penuriam vel dissensionem, aut ob virium mearum tenuitatem desperarem, ea satius duxi in ambiguo relinquere, doctioribusque iudicanda demandare, quam ubique certum aliquid pronuntiando imperitos in errorem inducere, peritioribus denuo inquirendi molem obiicere. Malui denique sobrii fidique scrutatoris, quam ingeniosi sagacisque commentoris laudem mereri.

Eam tamen laudem quam multum absit ut plane meritus sim, probe ipse sentio. Praeterea haud dubie verbosior, quam res flagitabat, docto lectori videbor; quod vitium rogo ut perspicuitatis studio, cui nimis fortasse indulgebam, condonet. Nonnulla sane verbo praecidi potuissent, nisi oppugnatoribus fuisset

resistendum atque veluti pro aris et focis ipsius historiae certandum. Quem conatum vehementer laetabor si non omnino male mihi cessisse iudicaverint Viri Docti, qui ut benevole has meas in hoc litterarum genere primitias excipiant aequoque iudicio submittant, etiam atque etiam rogo et exopto.

Scribebam Berolini mens. Sept. a. MDCCCXXVI.

I.

De Herodoti anno natali, patria, parentibus et cognatis (obiter de Panyasi poëta), deque in-eunte eius aetate.

Natum esse Herodotum Olympiadis 74 anno 1. sive a. Chr. 484. inter omnes constat. Debemus autem hanc anni natalis accuratam definitionem soli *Gellio*, qui scribit (Noct. Att. XV. 23.):

„Hellanicus, Herodotus, Thucydides, historiae scri-„ptores, in iisdem temporibus fere laude ingenti „floruerunt, et non nimis longe distantibus fue-„runt aetatibus. Nam Hellanicus *in initio belli „Peloponnesiaci* fuisse quinque et sexaginta an-„nos natus videtur, *Herodotus tres et quinqua-„ginta*, Thucydides quadraginta. Scriptum hoc „in libro XI. *Pamphilae.*"[1])

Bellum Peloponnes. quum ortum sit Olymp. 87 a. 1. sive a. Chr. 431, natum Herodotum invenies, quo diximus anno, sex annis post pugnam Marathoniam, quippe quae contigerit Olymp. 73, 3; a. Chr. 490;

1) *Pamphila*, Epidauria (secund. *Suidam*, quamquam *Photius* (Bibl. cod. 175) Aegyptiam eandem dicit, quae ita concilies, ut in Aegypto vixisse eam statuas) Neronis temporibus scripsit historiarum libros XXXIII. et epitomas Ctesiae aliorumque scriptorum. Citatur a *Gellio* etiam lib. XV. c. 17. N. A.; item saepissime a *Diogene Laertio*. — V. Ger. I. *Vossium* de histor. Gr. Lib. II. cap. 7. p. 192.

et quadriennio ante Xerxis in Graeciam expeditionem pugnamque Salaminiam, quae incidit in Olymp. 75 a. 1, a. Chr. 480. — Atque cum hoc optime consentiunt, quae minus accurate alii scriptores tradunt de Herodoti aetate. *Dionysius* enim *Halicarn.*[2]) paullo ante Persicum (sub Xerxe scilicet) bellum, *Diodorus Siculus*[3]) Xerxis temporibus natum Herodotum referunt. — Bellum igitur Persicum quum ipse non vidisset, quatuor tantum annos natus, tamen haud paucos eorum, qui illud bellum viderant, superstites fuisse eo florente necesse est. Idque ipse nos docet Herodotus referendo (IX. 16.), sermonem sibi fuisse cum Thersandro Orchomenio, qui ante pugnam Plataeensem una cum Mardonio nobilissimisque Persarum convivio exceptus fuerat ab Attagino Thebano. — Quum igitur dubium non sit, quin recte se habeat annus natalis ille, quem Pamphila teste statuimus: non audiendus *Eusebius*, qui scribit in *Chronic.* ad *Olymp.* 78 (pag. 168): Ἡρόδοτος Ἁλικαρνασσεὺς ἱστοριογράφος ἐγνωρίζετο[4]). Unde aliquot Olympiadibus ante septuagesimam quartam natus Herodotus arbitrandus esset; sedecim enim annos natus innotescere vixdum potuit. Minus etiam audiendus

2) *Iudic. de Thucyd.* cap. 5. (pag. 820. ed. Reisk.): ὁ δ' Ἁλικαρνασσεὺς Ἡρόδοτος, γενόμενος ὀλίγῳ πρότερον τῶν Περσικῶν, παρεκτείνας δὲ μέχρι τῶν Πελοποννησιακῶν.

3) *Diodor. Sic.* II. 32. Ἡρόδοτος κατὰ Ξέρξην γεγονὼς τοῖς χρόνοις.

4) V. Ios. Scaligeri Animadv. ad Euseb. p. 102.

Tzetzes[5]), si minorem natu Herodotum facit, quam Euripidem, quem Olymp. 75 a. 1. id est ipso demum Salaminiae pugnae anno natum constat. — Plane ridiculum autem recentioris Chronographi, *Gaulterii*, errorem, qui in tabulis chronographicis hunc scriptorem sub Constantino M. eiusque liberis ac fortasse etiam Iuliano vixisse arbitratur[6]), per iocum tantummodo attingimus.

De *nomine Herodoti* dissensio nulla esse potest. Nam quod nonnullis dicitur *Erodotus*[7]), e mero commento Henrici *Valesii* (ad Ammian. Marcell. XXI. 6.) fluxit, quod nihil moramur. Etenim apud veteres scriptores ubique cum in nostri historici tum in aliorum homonymorum[8]) nomine scribendo eam, quam hodie sequimur rationem observatam invenimus, eandemque apud ipsum Nostrum non modo in prooemio, sed etiam lib. VIII. cap. 132, ubi alius quidam *Herodotus* Basilidae filius commemoratur.

Nihilo magis de *patria Halicarnasso* ambigitur, quam ex ipsius Herodoti prooemio ac permultorum veterum scriptorum testimoniis compertam ha-

---

5) In versibus aliquot e codice Palat., quos restituit *Frommel*, iterum edidit *Poppo*: Prolegom. ad Thucyd. Vol. I. p. 321. nota 1.:

Οὗτος (Ἡρόδοτος sc.) χρόνοις δ' ἦν ὕστερον Εὐριπίδου, Εὐριπίδης δὲ Ξέρξηι τῆι ἐν χρόνοις.

6) V. Voss. de hist. Gr. Lib. I. cap. 3. p. 13.

7) Fabric. Bibl. Gr. Lib. II. c. 20. p. 661; Hamberger: *zuverlässige Nachrichten* etc. T. I. p. 137.

8) V. Fabric. Bibl. Gr. II. 20. p. 668.

bemus, e quibus unius *Strabonis* (XIV. 2.) verba afferam, qui scribit de Halicarnasso loquens: Ἄνδρες δὲ γεγόνασιν ἐξ αὐτῆς Ἡρόδοτός τε ὁ συγγραφεὺς, ὃν ὕστερον Θούριον ἐκάλεσαν διὰ τὸ κοινωνῆσαι τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας· καὶ κ. τ. λ.[9]) Fuit *Halicarnassus* urbs Cariae Dorica origine, Anthe duce a Troezeniis imprimis condita[10]), ad Doricam hexapolin olim quidem attinens, postea vero exclusa illo foedere ob Halicarnassensis cuiusdam culpam, qui Triopium Apollinem debito ei ex vetere iure donario fraudaverat. Narrat hanc rem ipse Herodotus I. 144. Ex quo tempore iisdem cum reliqua Caria fatis obnoxia, primum Lydorum imperio subiecta (Herod. I. 28.), deinde per Harpagum, Cyri imperatorem, in Persici regni ditionem redacta est (Herod. I. 174.), Herodoti autem aetate tyrannis, quamquam Persarum regis auspiciis, (Herod. III. 90.) Caria obtemperabat, quibus sedes regia erat ipsa Halicarnassus[11]). Nascente Herodoto imperium tenebat *Artemisia*, Lygdamidis filia Halicarnassia, bellicosa illa regina, quae cum quinque navibus in Xerxis classe pugnavit ad Salamina (Herod. VII. 99. VIII. 87 et saepius). Cui deinceps successerunt filius *Pisindelis* et nepos *Lyg-*

9) De altero hoc cognomine et colonia Thuriensi infra agemus cap. IV.

10) *Strabo* XIV. 2. Ὠικίσθαι δ' αὐτῆς (Halicarnassi sc.) ἐγένοντο ἄλλοι τε καὶ Ἄνθης μετὰ Τροιζηνίων.

11) *Strabo* l. l. Ἁλικαρνασσός, τὸ βασίλειον τῶν τῆς Καρίας δυναστῶν.

damis, in quo eiiciendo Herodotum operam navasse *Suidas* refert.[12])

Familia nobili et spectata (τῶν ἐπιφανῶν) fuisse scriptorem nostrum, auctor est *Suidas* l. l. Patrimonio satis amplo fruitum esse vel eo coniicias, quod alioqui vix tam longinqua et sumptuosa itinera facere potuisset, nullo alio, ut apparet, negotio intentus, nisi ut sciendi cupiditati satisfaceret.

Pater Lyxes nominatur a *Luciano*[13]), *Suida* i. v. Ἡρόδοτος et Πανύασις (quem locum infra adscribemus in nota 16); item epitaphio Herodoti, quod exhibent *Stephanus Byzant.* (v. Θούριος) et *Schol. ad*

12) i. v. Ἡρόδοτος. Totum *Suidae de Herodoto* locum, ad quem saepius nobis recurrendum erit, huc describere visum est: Ἡρόδοτος, Λύξου καὶ Δρυοῦς, Ἁλικαρνασσεύς, τῶν ἐπιφανῶν, καὶ ἀδελφὸν ἐσχηκὼς Θεόδωρον, μετέστη δ' ἐν Σάμῳ διὰ Λύγδαμιν, τὸν ἀπὸ Ἀρτεμισίας τρίτον τύραννον γενόμενον Ἁλικαρνασσοῦ. Πισίνδηλις γὰρ ἦν υἱὸς Ἀρτεμισίας· τοῦ δὲ Πισινδήλιδος Λύγδαμις. Ἐν οὖν τῇ Σάμῳ καὶ τὴν Ἰάδα ἠσκήϑη διάλεκτον καὶ ἔγραψεν ἱστορίαν ἐν βιβλίοις θ' ἀρξάμενος ἀπὸ Κύρου τοῦ Πέρσου καὶ Κανδαύλου τοῦ Λυδῶν βασιλέως. Ἐλϑὼν δὲ εἰς Ἁλικαρνασσὸν καὶ τὸν τύραννον ἐξελάσας, ἐπειδὴ ὕστερον εἶδεν ἑαυτὸν φϑονούμενον ὑπὸ τῶν πολιτῶν, εἰς τὸ Θούριον, ἀποικιζόμενον ὑπὸ Ἀϑηναίων, ἐϑελοντὴς ἦλϑε. κἀκεῖ τελευτήσας ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς τέϑαπται. Τινὲς δὲ ἐν Πέλλῃ αὐτὸν τελευτῆσαί φασιν. Ἐπιγράφονται δὲ οἱ λόγοι αὐτοῦ Μοῦσαι. — Sequuntur verba quaedam Iuliani Caesaris, e quibus nihil ad nostram quaestionem pertinet, nisi haecce *Iuliani* verba: „εἴ τῳ πιστὸς ὁ Θούριος εἶναι λογοποιὸς δοκεῖ."

13) *Lucian. de Domo* Tom. II. p. 624. ed. Bened.: καί μοι σὺ ἤδη ὁ κήρυξ προσκάλει αὐτὸν Ἡρόδοτον τοῦ Λύξου Ἁλικαρνασσόϑεν.

Aristoph. Nub. v. 331.[14]) Nominativum non esse Λύξος (ut scribit Fabric. Bibl. Gr. Lib. II. c. 20. p. 661), cum Genitivus Λύξεω, qui legitur in hoc epigrammate, probet, Accusativus Λύξην apud Suidam (v. Πανύασις) obvius plane evincit.

Corrigendum igitur *Tzetzen* dicas, qui *Oxyli* filium facit Herodotum, nisi quater apud eum eadem res idemque nomen constanter recurreret.[15]) Unde

14) Ἡρόδοτον Λύξεω κρύπτει κόνις ἥδε Ϝανόντα,
Ἰάδος ἀρχαίης ἱστορίης κρύπτανιν.
Δωριέων πάτρης βλαστόντ' ἄπο, τῶν ἀρ' ἄπλητον
μῶμον ὑπεκφυγών, Θούριον ἔσχε πάτρην.

Sic *Hermannus* constituit hoc epigramma in Schol. ad Aristoph. Nub. pag. 324 editionis suae. Legebatur v. 2. ἱστορικῆς, quod iam correxerat *Camerarius;* et v. 4. τῷ γὰρ ἄπλητον, emendatum a *Brunckio:* Anal. III. p. 263. epigr. 533. *Berkelius* legebat τὸν γὰρ ἄπλητον, quem sequitur *Taylor* in vita Lysiae pag. 34. — *Ruhnkenius* ad. Hom. hymn. in Cer. v. 83, quod Mss. Stephani Byz. ἄπλητος habeant, sic scribit: τῶν δ' ἄρ' ἄδηκτος κ. τ. λ. *Larcherus* quoque (Vie d'Hérodote pag. XCII. in Gallicae versionis T. I. nova edit.) ἄδηκτος legit, quod quid sibi velit, prorsus non intelligo. Rectissime Hermannus l. l.: „Si ἄδηκτος fuisset, mansisset in patria, non eam reliquisset." — Ego malim: τὸν δ' ἄρ' ἄπλησταν (i. e. insatiabile) μῶμον κ. τ. λ. Licet enim Suidas idem testetur, vitae Herodoti decursus satis docebit, neque continuo e patria, neque civium suorum insectationes evitantem Thurios confugisse Herodotum. Haud igitur τῶν (Δωριέων sc.) sed omnino τὸν μῶμον fugit. — Ceterum latine expressit hoc epigramma *Salmasius*, nostrae explicationi plane convenienter:

Lyxidae Herodoti cineres humus ista recondit,
Historiae antiquae patris Ioniacae.
Quem Doris patria extulerat, patria altera posthac
Thurias excepit, dum fugit invidiam.

15) *Tzetzes:* Chiliad. I. 19. (p. 2. ed. Kiessling.):
Ὁ συγγραφεὺς δ' Ἡρόδοτος ὁ καῖς ὁ τοῦ Ὀξύλου.

coniiciendum sane, etiam alteram de Herodoti patris nomine exstitisse famam, quamvis falsam. Nos certe discrepantiam istam omittentes, *Lyxen* verum esse nomen potioribus illis testibus credimus.

De *matris* potius nomine est quod ambigas.

Idem versus obvius est Chiliad. III. 387. (p. 96). *Larcherus* (l. l. p. LXV.) corrigendum dicit: ὁ τοῦ Λύξεω, atque sic voluisse aut certe debuisse scribere Tzetzen affirmaverat *Wesselingius* ad Herodot. II. 78; uterque tamen solum hunc posteriorem citans locum, ceterorum nullo habito respectu. Reliqui duo loci sunt Chiliad. III. 543. (p. 101) et VIII. 7. (p. 278), ubi sunt verba:

Ὀξύλου παῖς Ἡρόδοτος γράφει τὴν ἱστορίαν·

Verumtamen hic non praetereundum, quod in eiusdem *Tzetzae* versibus e cod. Palat. supra (nota 5.) citatis scriptum est:

Ὁ τοῦ Ξύλου παῖς προχρονώτερος τοῦδε (sc. Θουκυδίδου)

Corrigendum videtur: Ὁ τοῦ Ὀξύλου (per synizesin). Quamquam eadem nominis forma reperitur in Cod. *Suidae* Lugd. Bat. Gronoviano (quem collatum vide a *Naekio* in Choerili Fragmm. p. 17 sq.), ubi in v. Ἱππύασις legitur: ὁ δὲ Ἡρόδοτος Ξύλου κ. τ. λ. pro vulgato Λύξου. Accedit quod *Ursinus*, teste Gronovio (Antiq. Graec. T. II. tab. LXXI.) epigramma illud apud Stephanum Byz. v. Θούριοι, obvium (v. supra nota 14.) integrum de vetere libro Ioannis *Tzetzae* se descripsisse refert, „qui *Xylum* Herodoti patrem, non Lyxum, nominandum doceat, adductis multorum testimoniis et imprimis Zenonis auctoritate, a quo id epigramma accepisse se Tzetzes scribat." Quibus quemnam Tzetzae librum innuat Ursinus, frustra inquiro; videtur esse ineditus, qui cum ceteris Ursini codicibus mscr. in Vaticanam demigravit bibliothecam, ibique absconditus editorem exspectat. Utut vero est, si ista scripsit Tzetzes, dubia certe fit superiorum eiusdem locorum fides atque omnino nominis forma, possitque *Xylus* etiam in Chiliadibus restituendum videri, quo in posteriori quidem e duobus supra allatis versibus nihil facilius. Modo scribas:

Ὁ Ξύλου παῖς Ἡρόδοτος γράφει τὴν ἱστορίαν.

Quam Suidas quidem i. v. Ἡρόδοτος vocat *Dryo*; at idem i. v. Πανύασις Ῥοιὼ eidem nomen indit. E quibus illud, quod primo loco posuimus, nomen a viris doctis temere receptum invenio, alterius ne mentione quidem facta. Quod cur plane neglexerint, caussam nullam video. Quamquam enim illa Suidae (i. v. Πανύασις) verba, quibus memoratur Ῥοιὼ, mater Herodoti, absunt a Cod. Lugd., Bat. modo nobis allato (v. not. 15.), tamen ex antiquo fonte ducta videntur (id quod aliis rationibus motus recte observat *Naekius* in Choerilo p. 18), eoque minus e Suida eximenda, quod omnino codex ille hoc certe loco mancus deteriorque est, quam vulgata nostra lexicographi editio. Itaque aut corruptum alterutrum nomen statuendum, aut variis fontibus usus Suidas discrepantiam hanc, uti consuevit, non curasse putandus est. Ego quid statuam, deficientibus aliis auctoribus, non habeo, eamque quaestionem haud ita gravem profecto doctioribus disceptandam in medio relinquo.

Fratrem *Theodorum*, cuius Suidas meminit (v. Ἡρόδοτος) aliunde non novimus.

Cognatum Herodoto fuisse *Panyasin*, vatem Halicarnassium eundemque nobilem poëtam epicum, e *Suida* discimus v. Πανύασις.[16]) Patruelis an avun-

16) Hunc quoque *Suidae* locum integrum huc describendum duxi: Πανύασις Πολυάρχου, Ἁλικαρνασσεύς, τερατοσκόπος καὶ ποιητὴς ἐπῶν, ὃς σβεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγε. Δοῦρις δὲ Διοκλέους τε παῖδα ἀνέγραψε καὶ Σάμιον, ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον. ἱστόρηται δὲ Πανύασις Ἡροδότου

culus fuerit, ambigitur. Utrumque enim e diversis auctoribus refert Suidas. Cum qua dissensione alia quaedam coniuncta esse videtur, quae videlicet inest in Suidae verbis: *γέγονε κατὰ τὴν οἱ ὀλυμπιάδα, κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος κ. τ. λ.* In totam hanc de aetate et cognatione Panyasidis fluctuationem paullo accuratius inquirere mihi liceat, quoniam minime aliena est haec quaestio a proposito nostro. Atque de aetate quidem Panyasidis *Larchero* et *Naekio* VV. DD. assentior, qui multo antiquiorem fuisse eum arbitrantur, quam alii VV. DD. Suidam habentes auctorem putaverant[17]). *Larcherus* enim (Vie d'Hérodote p. LXVI.) annum eius natalem asserit Olymp. 68, a. Chr. 508; *Naekius* (Choerili Fragm. p. 17.) Olymp. 72 annum egisse tricesimum eum opinatur, ut videlicet natus fuerit Olymp. 65. Qui-

τοῦ ἱστορικοῦ ἐξάδελφος· γέγονε γὰρ Πανύασις Πολυάρχου, ὁ δὲ Ἡρόδοτος Λύξου, τοῦ Πολυάρχου ἀδελφοῦ· τινὲς δὲ οὐ Λύξην, ἀλλὰ Ῥοιώ, τὴν μητέρα Ἡροδότου, Πανυάσιδος ἀδελφὴν ἱστόρησαν. Ὁ δὲ Πανύασις γέγονε κατὰ τὴν οἱ ὀλυμπιάδα· κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος· γέγονε γὰρ ἐπὶ τῶν Περσικῶν. ἀνηρέθη δὲ ὑπὸ Λυγδάμιδος τοῦ τυράννησαντος Ἁλικαρνασσοῦ. Ἐν δὲ κοιηταῖς τάττεται μεθ' Ὅμηρον, κατὰ δέ τινας καὶ μεθ' Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον· ἔγραψε δὲ καὶ Ἡρακλειάδα ἐν βιβλίοις ιδ', εἰς ἔπη ,δ, Ἰωνικὰ ἐν πενταμέτρῳ· ἔστι δὲ τὰ περὶ Κόδρου καὶ Νηλέως καὶ τὰς Ἰωνικὰς (l. τῆς Ἰωνικῆς) ἀποικίας εἰς ἔπη ,ζ. Sic habet vulgatus Suidae textus, a quo in quibusdam discedit codex Lugduno-Batavus, quem collatum vide apud *Naekium*: Choerili Fragm. p. 17 sq.

17) V. *Heyne* ad Apollodor. p. 991; *Schellenberg* in Antimachi Reliqq. p. 9.

bus eatenus assentior, ut concedam, in id, quod amplectuntur, temporis spatium incidisse Panyasidis ortum, ipsum annum natalem definiri posse non credo. Neque omnibus iis quibus utuntur rationibus ad probandas sententias suas, fidem habeo. Etenim Larcherus ea potissimum argumentandi via incedit, ut dicat: Panyasin occisum esse, Suida teste, a Lygdami, qui tyrannus eiectus sit ab Herodoto nostro, secundum eundem Suidam (v. Ἡρόδοτος). Evenisse autem illam tyranni fugam a. Chr. 457; igitur Panyasidis necem excedere non posse annum a. Chr. 458. Iam si cum Suida Olymp. 78, a. Chr. 468. natum ideoque minorem Herodoto statueris Panyasin, vix annum aetatis nonum agens a tyranno interemptus poëta ille fuisset; quod fieri omnino non potuit. — De qua argumentatione duo sunt, quae dubitare me faciant. Primum enim vocem γέγονε apud Suidam loco nostro interpretandam puto *fuit*, *floruit*, non: *natus est*, quae est Larcheri interpretatio. Florere autem Olymp. 78. optime potuit, qui necatus est Olymp. 80. a. 3. Deinde expulsum esse Lygdamin a. Chr. 457. unde sciat Larcherus non dicit; suspicor, e mera coniectura, quam ex Herodoti vita ab ipso conficta duxit, conflatum esse istum annum. Atqui de eius vitae cursu quam parum constet, mox videbimus.

Ceterum e duabus illis Suidae traditionibus de *cognatione Panyasidis* cum historico nostro alteram, qua avunculus Herodoti fertur Panyasis prorsus amplectitur *Larcherus*, eademque etiam *Naekius* (l. l.

p. 15.) utitur pro argumento, quo probet multo antiquiorem fuisse poëtam illum. Verumtamen diligentius inspicienti Suidam dubitatio nascatur necesse est de lectionis integritate. Nam ubi haecce legeris: γέγονε γὰρ Πανύασις Πολυάρχου, ὁ δὲ Ἡρόδοτος Δύξου, τοῦ Πολυάρχου ἀδελφοῦ· τινὲς δὲ οὐ Δύξην, ἀλλὰ Ῥοιὼ, τὴν μητέρα Ἡροδότου, Πανυάσιδος ἀδελφὴν ἱστόρησαν — certe non te fugiet ellipsis durissima atque, ut mihi quidem videtur, nullo modo ferenda, ex qua nimirum post verba τινὲς δὲ οὐ Δύξην intelligendum sit: Πολυάρχου ἀδελφὸν, quum deinde Ῥοιὼ Πανυάσιδος ἀδελφὴ dicatur. Quae ellipsis tum demum ferri posse mihi videretur, si pro Πανυάσιδος substitueris: Πολυάρχου. Atque ita scripsisse Suidam opinor. Sic omnia bene cohaerent; sententia haec est: alii *Lyxen Polyarchi fratrem*, alii *Rhoeo eiusdem sororem* ferebant. Itaque e neutrorum traditione avunculus Herodoti Panyasis, sed aut patrueles, aut amitini fuerunt.

Aliud quoddam Naekii argumentum vereor ne similiter corruptis Suidae verbis innitatur. Nam quod scribit V. D. (l. l. p. 15): „*Herodotum testimonium edidisse de Panyasi*, teste Suida", ea quo spectent non video, nisi ad haecce Suidae de Panyasi verba: Δοῦρις δὲ Διοκλέους τε παῖδα ἀνέγραψε καὶ Σάμιον· ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον. Quae primo quidem adspectu ita explicanda videntur, quasi Herodotus dicat, *Thurinum* fuisse Panyasin, Duris contra *Samium*. At quomodo in his plane diversis voce ὁμοίως καὶ uti potuerit Suidas? Et quis unquam

Thurios patriam Panyasi tribuit? — Contra *Herodotus* saepissime Thurinus audit (v. infra cap. IV.). Scripsisse igitur Suidam putaveris: Θούριος, ut sensus sit: *pariter etiam Herodotus Thurinus Samium dicit Panyasin.* Qua emendatione vocabulum ὁμοίως optime locum teneret, particulam δὲ autem, si impedimento esse videbitur, nil obstat quin eiicias, quum praesertim in codice Lugd. Bat. omittatur. Itaque re vera Herodotus testimonium de Panyasi ediderit. At ubinam id fecit? Frustra in iis, quos habemus, novem libris vel minimam vatis illius mentionem investiges. Ne in illo quidem spurio foetu *de vita Homeri* ulla Panyasidis commemoratio exstat. Igitur in deperditis forsitan Herodoti scriptis, si qui unquam fuere, exstiterit. At Suidas solas Musas agnoscit (v. in v. Ἡρόδοτος), alia Herodoti quaelibet scripta ignorans. Neque aliter ac Halicarnassensem nominare solet Herodotum; cur hoc unico loco Thurinum eundem cognominarit? — Denique, ne longus sim in re satis expedita, dubium esse non potest, quin dicere voluerit Suidas: Duris quidem Panyasin Samium facit, at *simili ratione etiam Herodotus Thurinus fertur.* Legendum igitur aut: ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον Θούριον scil. ἀνέγραψε Δοῦρις· aut: — Ἡρόδοτος Θούριος sc. ἀναγράφεται, καλεῖται· quarum prior ratio praestare videtur[18]). Infirmat Suidas

18) Absoluto iam toto hoc libello in manus meas incidit *Wesselingii dissertatio Herodotea* (Traiecti ad Rhen. 1758.); ubi cap. I. pag. 9. eandem Suidae verbis medicinam adhiberi nunc demum cognovi.

das *Duridis*[19]) Panyasin *Samium* ferentis auctoritatem, ostendendo eundem etiam de Herodoti patria minus accurate tradidisse. Testimonium de Panyasi ab Herodoto editum fuisse minime dicit.

Iam argumentis istis sublatis restat, ut breviter exponam, quibus tandem caussis adductus Viris Doctis, quos dixi, assentiar in Panyasidis aetate stabilienda. Atqui eas caussas ab eodem Naekio partim suppeditatas mihi esse libere fateor. Prima est, quod Suidas diserte addat, ex quorundam sententia (κατά τινας) multo antiquiorem fuisse Panyasin. Deinde idem *Suidas* (i. v. Χοιρίλος) de Choerilo tradere non potuisset: γενέσθαι κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις, ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν, ὀλυμπιάδι οἑ, νεανίσκον ἤδη εἶναι, nisi tum Panyasin satis longe ante Olymp. 78. fuisse credidisset. Denique accedit *Eusebii* auctoritas, cuius Chronica ad Olymp. 72. a. 4. (pag. 166.) haec habent: Πανύασις ποιητὴς ἐγνωρίζετο. In hoc tantummodo non mihi probatur Naekii sententia, quod Suidam scribentem γέγονε γὰρ ἐπὶ τῶν Περσικῶν cogitasse aut cogitare debuisse censet de *primo Persarum contra Graecos* bello, quod *Darius* suscepit. Cogitare debuisse non negaverim, cogitasse non mihi persuadeo, siquidem idem Suidas v. Χοιρίλος, quem locum modo attulimus, τὰ Περσικὰ aperte dicit Xerxis expeditionem, addens insuper: ὀλυμπιάδι οἑ, at-

19) De hoc scriptore, qui floruit Ptolemaei Philadelphi tempore, multisque veteribus laudatur v. Ger. *Voss.* de histor. Gr. lib. I. c. 15. p. 96 sqq. Eundem *Plutarchus* in vita Periclis 28. ait ἐκτραγῳδεῖν (v. *Baehr:* Ctesiae Reliquiae p. 24).

que perinde scribit i. v. Χάρων: ἐπὶ τῶν Περσικῶν κατὰ τὴν οε ὀλυμπιάδα. Atque sic omnino Graecis in usu fuisse crediderim, ut τοῖς Περσικοῖς nude dictis secundum bellum Persicum innuerent. Cf. etiam *Dionys. Halic.* Iudic. de Thucyd. cap. 5., quem locum supra edidimus (n. 2.). Neque opus est illa Naekii interpretatione; satis enim vetustum Panyasin vel secundum Suidam nanciscimur, modo vocem γέγονε intelligamus: *vixit, floruit,* quem sensum et ipse agnoscit Naekius, et in isto vocabulo haud raro inesse observat clariss. *Creuzerus* in Historicorum Graec. antiq. Fragmm. pag. 90.

De scriptis Panyasidis paucis defungemur. Duo carmina confecisse eum docet Suidas: *Heracleam*[20]) libris XIV. versibus 9000 constantem, et *Ionica* versus 7000 complectentia. Neque ab alio quopiam scriptore tertium carmen memoratur. Quod enim aliud opus *Lydia* inscriptum e Schol. Apollonii IV. 1149. exsculpserat Fabriciani indicis auctor, repetente *Harlesio* (V. 1. p. 734.) id librariorum delicto debetur, ut monuit *Naekius* (l. l. p. 16.), qui idem vera Schol. Apollonii lectione e Cod. Paris. restituta commenticium illud carmen sustulit. — Ceterum in *Heraclea* cecinisse poetam Herculis res gestas et fata, non modo ex ipsa carminis inscriptione, sed etiam ex veterum citatis elucet. V. *Eratosthenis* Catasterism. cap. 11.; *Hygin.* Poet. Astron. II. 6,

20) Ἡρακλειάς a *Suida* v. Πανύασις, Ἡρακλεία ab *Eratosthene* Catast. c. 11. et a *Schol. Pind.* Pyth. III. 177; item *Heraclea* ab *Hygino* Poët. Astron. II. 6. vocatur.

ubi testis de Herculis certamine cum dracone Hesperidum accitur „*Panyasis in Heraclea*"; *Pausan.* X. 29. sub fin., ubi tametsi non nominatur Heraclea, dubium esse non potest, quin ex illo carmine desumptum sit, quod citat auctor. — *Ionicis* quale argumentum fuerit, disertis verbis Suidas tradit, nimirum: Codri historia atque Ionum in Asiam colonia a Neleo deducta. Idem cum scribat „Ἰωνικὰ ἐν πενταμέτρῳ" ea aegre crediderim ita intelligenda esse, quasi meris pentametris compositum fuerit illud carmen, sed versibus elegiacis. Ceterum Codex Lugd. Bat. verba ἐν πενταμέτρῳ omittit. Sin recte habent, pauca illa, quae nobis servata sunt, Panyasidis fragmenta ex Heraclea desumpta esse, statuendum est; constant enim continuis hexametris. Tria e Stobaeo et Athenaeo emendatius edidit *Brunckius* in Gnomicis poëtis Graecis p. 130 sq., quinque praeterea versus leguntur apud *Stephanum Byz.* v. Τρεμίλη; unum versum e tertio Heracleae libro servavit *Scholiastes Pindari* ad Pyth. III. v. 177. — De poësis Panyasideae genere et indole *Dionysium* Halic. de vett. scriptt. censura II. 4. cum *Quintiliano* Instit. Orat. X. 1. conferas, qui ambo mixtum poëtam ex Hesiodo et Antimacho fuisse aiunt.

Haec de Panyasi obiter monita sufficiant. — Alios Herodoti cognatos non novimus. Fuisse ei in Ionia cognatos, quae est *Dahlmanni*[21]) opinio per

21) *Herodot. Aus seinem Buche sein Leben. Altona.* 1823. *pag.* 9.

se quidem haud improbabilis, eo quo utitur V. D. argumento probari minime potest. Coniicit nimirum, ex Ionum legatis, qui post pugnam Salaminiam in Aeginam insulam missi sunt de liberanda Ionia, solum Herodotum quendam, Basilidae filium, Chium eo consilio a nostro Herodoto (VIII. 132.) nominari, ut cognati hominis memoria ne intereat. Attamen nominis aequalitas fortuita esse potest, neque pro cognationis documento habenda est; potuitque Herodotus noster illud prae ceteris nomen ob id ipsum tenere et litteris consignare, quod idem erat cum suo.

De *educatione* et *institutione* Herodoti nihil quicquam memoriae proditum est. Liberaliter educatum et instructum fuisse dubium videri nequit, quem summa vi et assiduitate cuiusvis generis doctrinae incubuisse videmus; quamquam a proprii innatique ingenii stimulis extrinsecus admotam disciplinam longe superatam crediderim. — *Magistrum* nullum ei addi iure mireris. Solent enim fere, ut recte monuit Naekius (l. l. p. 21 sq.), Grammatici hominibus inclytis magistros quaerere quam maxime inclytos, et sine magistro vix ullum patiuntur; adeo ut nonnunquam claris scriptoribus affinxerint eiusmodi praeceptores, quorum aut ob aetatis distantiam, aut aliam quamvis ob caussam discipuli illi esse omnino non potuere. At sentiebant forsitan, ex antiquioribus logographis neminem dignum visum iri, qui tanti scriptoris magister crederetur, quem novam omnino atque inauditam antea historiae scribendae rationem instituisse non ignorabant. Itaque satis ha-

bebant accusare Nostrum de furtis quibusdam factis e logographorum scriptis; de quibus quid statuendum, alio loco videbimus.

Verum non modo de educatione ac praeceptoribus scriptoris nostri tacet antiquitas; sed omnino de *adolescentiae*, ne dicam *totius fere vitae*, *cursu et fatis* aut plane nihil, aut perpauca eaque partim sibi repugnantia traduntur. Suidas enim i. v. Ἡρόδοτος (v. supra nota 12) hisce perfunctorie relatis acquiescit. „Discessit", inquit, „e patria Samum propter Lygdamin tyrannum (quo aetatis anno, non addit). Atque in Samo insula tum Ionicae dialecti usum cepit, tum historiam scripsit libris novem absolutam, exorsus inde a Cyro Persa et Candaule Lydorum rege. Delatus autem Halicarnassum, tyranno expulso postquam civibus invisum sese vidit, Thurios, quo coloniam miserunt Athenienses, voluntarius venit." etc. In his iure miraberis, ne verbo quidem itinerum mentionem factam esse, quae varia et longinqua suscepta ab Herodoto fuisse, priusquam historiis conscribendis manus potuerit afferre, quaelibet operis eius pagina clamat. Aliquam certe itinerum partem ante emensus esse debuit, quam Sami historias scribere ingressus est; nam universum opus suum ea in insula absolvisse Suidae ne credamus, vetat *Plinius*, qui scribit (H. N. XII. 8.), Herodotum Thuriis in Italia condidisse historiam. In illa autem itinera utrum statim e patria tetenderit ac redux Halicarnassum tum demum tyrannum fugiens Samum se contulerit, indeque reversus Halicarnassum eiecerit Lygdamin (quae

est *Larcheri* sententia l. l. p. LXXVII.); an primum Halicarnasso Samum discesserit atque ex hac insula profectus peregrinationi se commiserit: non habeo dicere. — Sed omnino itinera qualia et quanta fecisse putandus sit, infra seorsim exquirere tentabimus (cap. V.). Nunc advertere lectoris animum velim ad haud minus sane mirandum Suidae de alia quadam re silentium: recitationem dico illam notissimam, quam ab historico nostro habitam fuisse Olympiae cum alii nonnulli scriptores, tum ipse Suidas alio loco (v. Θουκυδίδης) tradidit. Iam igitur proximo capite de praelectione illa Olympica explorabimus, qua disquisitione spero fore, ut nonnulla, quae adhuc obscura reliquimus, clariore in luce collocentur.

II.

De recitatione, quam Olympiae habuisse fertur Herodotus Olymp. 81.

Potissimum huius facti testem habemus *Lucianum* in singulari quodam libello, qui inscribitur *Herodotus sive Aëtion.* Est oratio, quam habuit Lucianus in Macedonia in consessu nobilissimorum, ut ipse ait, suae aetatis rhetorum, historicorum et sophistarum; quaque aliis ibidem habendis acroamatis praelusit ac viam munivit. Utitur eum in finem *Herodoti* historici et *Aëtionis* sui temporis pictoris exemplis, quorum uterque, similiter ac ipse Lucianus, in publicum proponendo ac quam frequentissimo Graecorum conventui ostendendo opera sua laudem famamque sibi quaesiverat, neque ea spe falsus erat. Ex illa igitur oratione quae verba quam maxime spectant hanc nostram quaestionem, iam ante oculos lectori ponam. Dicit Lucianus (T. I. p. 621 ed. Benedict. Salmur. 1619.) de Herodoto loquens:

— „πλεύσας γὰρ οἴκοθεν ἐκ τῆς Καρίας εὐθὺ τῆς Ἑλλάδος, ἐσκοπεῖτο πρὸς ἑαυτὸν, ὅπως ἂν τάχιστα καὶ ἀπραγμονέστατα ἐπίσημος καὶ περιβόητος γένοιτο καὶ αὐτὸς, καὶ τὰ συγγραμμάτια· τὸ μὲν οὖν περιοστοῦντα νῦν μὲν Ἀθηναίοις, νῦν δὲ Κορινθίοις ἀναγιγνώσκειν, ἢ Ἀργείοις, ἢ Λακεδαιμονίοις ἐν τῷ μέρει, ἐργώδες καὶ μακρὸν ἡγεῖτο εἶναι, καὶ τριβὴν οὐ μικρὰν ἐν τῷ τοιούτῳ ἔσεσθαι. οὔκουν ἡξίου διασπᾶν

τὸ πρᾶγμα, οὐδὲ κατὰ διαίρεσιν οὕτω κατ' ὀλίγον ἀγείρων καὶ συλλέγων τὴν γνῶσιν, ἐπεβούλευε δὲ, εἰ δυνατὸν εἴη, ἀθρόους που λαβεῖν τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας. ἐνίστασαι οὖν Ὀλύμπια τὰ μεγάλα, καὶ ὁ Ἡρόδοτος, τοῦτ' ἐκεῖνο ἦκειν οἰ νομίσας τὸν καιρὸν, οὐ μάλιστα ἐγλίχετο, πλήθουσαν τηρήσας τὴν πανήγυριν ἀπανταχόθεν ἤδη τῶν ἀρίστων συνειλεγμένων, παρελθὼν ἐς τὸν ὀπισθόδομον οὐ θεατὴν ἀλλ' ἀγωνιστὴν Ὀλυμπίων παρεῖχεν ἑαυτὸν, ἄδων τὰς ἱστορίας καὶ κηλῶν τοὺς παρόντας, ἄχρι τοῦ καὶ Μούσας κληθῆναι τὰς βίβλους αὐτοῦ ἐννέα καὶ αὐτὰς οὔσας. Ἤδη οὖν ἅπαντες αὐτὸν ἤδεσαν πολὺ μᾶλλον ἢ τοὺς Ὀλυμπιονίκας αὐτούς. καὶ οὐκ ἔστιν ὅστις ἀήκοος ἦν τοῦ Ἡροδότου ὀνόματος, οἱ μὲν αὐτοὶ ἀκούσαντες ἐν Ὀλυμπίᾳ, οἱ δὲ τῶν ἐκ τῆς πανηγύρεως ἡκόντων πυνθανόμενοι. καὶ εἴ πού γε φανείη μόνον, ἐδείκνυτο ἄν τῷ δακτύλῳ· οὗτος ἐκεῖνος Ἡρόδοτός ἐστιν, ὁ τὰς μάχας Περσικὰς Ἰαστὶ συγγεγραφὼς, ὁ τὰς νίκας ἡμῶν ὑμνήσας. τοιαῦτ' ἐκεῖνος ἀπέλαυσε τῶν ἱστοριῶν· ἐν μιᾷ συνόδῳ πάνδημόν τινα κοινὴν ψῆφον τῆς Ἑλλάδος λαβὼν καὶ ἀνακηρυχθεὶς οὐχ ὑφ' ἑνὸς, μὰ Δία, κήρυκος, ἀλλ' ἐν ἀπάσῃ πάλει, ὅθεν ἕκαστος ἦν τῶν πανηγυριστῶν.

Haetenus Lucianus. Eandem rem, quam uberius ille narrat, paucis tangit *Suidas* i. v. Θουκυδίδης, ubi alia pervulgata narratiuncula Thucydidem spectans traditur. Verba Suidae sunt:

οὗτος (Θουκυδίδης sc.) ἤκουσεν ἔτι παῖς συγχάιρων Ἡροδότου ἐπὶ τῆς Ὀλυμπίας τὰς ἱστορίας αὐτοῦ διερχομένου, ἃς συνεγράψατο, καὶ κινηθεὶς ὑπό τινος

ἐνθουσιασμοῦ πλήρης δακρύων ἐγένετο, καὶ ὁ Ἡρόδοτος καταγνόησας τὴν αὐτοῦ φύσιν πρὸς τὸν πατέρα Θουκυδίδου, Ὄλορον, ἔφη· μακαρίζω σε τῆς εὐτεκνίας, Ὄλορε· ὁ γὰρ σὸς υἱὸς ὀργῶσαν ἔχει τὴν ψυχὴν πρὸς τὰ μαθήματα. καὶ οὐκ ἐψεύσθη γε τῆς ἀποφάνσεως κ. τ. λ.

Quam narrationem de Thucydide Herodoti auditore atque recitationi eius illacrimante repetitam videbis apud eundem *Suidam* v. ὀργᾶν. Eandem iisdem fere verbis, quamquam non diserte Olympiae habitam esse illam recitationem dicentes, exhibent *Marcellinus*[22]), sive quis alius scripsit postremam libelli illius *de vita Thucydidis* partem, quem e pluribus diversorum auctorum fragmentis conflatum Marcellino vulgo tribuunt (cf. Poppo: Prolegomm. ad Thucyd. Vol. I. p. 20 sq.); item *Photius*[23]) et *Tzetzes*[24]).

Iam duas illas narrationes de Herodoto recitante

---

22) *Marcellin.* in vita Thucyd. §. 54. (in Popponis Prolegg. ad Thucyd. Vol. I. p. 335.): λέγεται δέ τι καὶ τοιοῦτον, ὡς ποτε τοῦ Ἡροδότου τὰς ἰδίας ἱστορίας ἐπιδεικνυμένου, παρὼν τῇ ἀκροάσει Θουκυδίδης καὶ ἀκούσας ἐδάκρυσεν. εἶτα φασὶ τὸν Ἡρόδοτον τοῦτο θεασάμενον εἰπεῖν αὐτοῦ πρὸς τὸν πατέρα τὸν Ὄλορον· ὦ Ὄλορε, ὀργᾷ ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ σου πρὸς μαθήματα.

23) *Photius* in Bibl. Cod. 60. fin. (pag. 19. ed. Bekker.): λέγεται δὲ, ἀναγινωσκομένης αὐτῷ (Ἡροδότῳ sc.) τῆς ἱστορίας κομιδῇ νέον ὄντα παρὰ τῷ πατρὶ Θουκυδίδην ἀκοῦσαι καὶ δακρῦσαι· τὸν δὲ Ἡρόδοτον ἀποφήνασθαι, ὡς εἴη ὁ παῖς, ὦ Ὄλουρε, ὁ σὸς ὀργῶσαν ἔχων τὴν φύσιν πρὸς μαθήματα.

24) *Tzetzae* locum in versibus e cod. Palat. aliquoties iam in antecedentibus memoratis v. apud Poppon. l. l. p. 321.

et Thucydide puero audiente ubi inter se concilia-veris, probabilem inde coniecturam facere licebit, in quem annum inciderit Olympica illa praelectio. Thucydides enim tredecim annis natu minor erat Herodoto (v. locum Gellii supra enotatum p. 1.); natus igitur erat Olymp. 77. a. 2. a. Chr. 471.[25]) Unde fit verisimile, Olympicam Herodoti recitationem habitam esse Olymp. 81. a. Chr. 456, Thucydide agente aetatis annum quintum decimum, Herodoto duodetricesimum. Atque hic annus inter viros doctos plerosque iamdudum convenit[26]). Nam si Olympiadem 80. statuas, non modo, ut observavit Larcherus, nimis tenerae aetatis, quippe undecimum demum annum agens, videbitur Thucydides, sed etiam Herodotus, viginti quatuor tum annos natus, vix satis aetate provectus fuit, ut iam itineribus et scriptis suis aliqua certe ex parte absolutis in publicum prodierit. Sin contra Olympiadi demum 82. factum illud asserere malis, undeviginti annos natum habebis Thucydidem, quem neque παῖδα ἔτι τυγχάνοντα Suidas, aut κομιδῆ νέον ὄντα Photius dicere potuerit, nec omnino mirum esset, Herodoti praelectione commotum fuisse.

Itaque illo praelectionis anno, quem diximus, stabilito, totam hanc quaestionem ad finem perductam

25) Cf. Poppo l. l. p. 22.

26) V. *Dodwell.* Apparat. ad Annal. Thucydid. sect. XVIII. *Wesseling.* Praef. ad Herodot. pag. XXII. ed. Schweigh. p. VI. ed. Gaisford. *Larcher.* l. l. p. LXXIX sq.

dicas. Atque esset profecto, nisi viri docti, quorum non nulla est auctoritas, obiectionibus primo quidem adspectu satis gravibus labefactare fidem, quae vulgo additur istis narrationibus, studuissent. Quorum argumenta eo antiquius habui diligenter examinare, quo facilius minus peritos et circumspectos in errorem possint inducere, nostro praesertim tempore, quo vix ulla res ita certa habetur, quin vexetur a criticorum festinanter et inconsulte iudicantium cupiditate, neque ulla res tam nova tamque inaudita excogitatur, quin credatur a studiosis novarum in litteris rerum, magnoque illo grege imitatorum.

Verum antequam ad ipsam disputationem pergo, praemonitum velim lectorem, ut quae in narratione illa Lucianea ad exornandam et amplificandam rem rhetoricus ille scriptor addidit, ea a nudo simplicique facto secernat. Simplex autem factum hoc refert: *Olympiae recitasse Herodotum, eoque modo in Graecia primum innotuisse.* Quaecunque praeterea tradit Lucianus, nempe „attulisse Herodotum omnes suas, quas nunc habemus, historias perfectas, novemque libris dispositas, earumque praelectione tantam in admirationem rapuisse auditores, ut novem Musarum nomina singulis illis libris iam tum indiderint", haec et his similia nec pro certis accipere, nec prorsus reiicere nobis arrogabimus, nisi aliunde aut confirmata, aut refutata fuerint.

Iam quaestionem ipsam aggressuro litigandum mihi erit primum cum *Poppone*, viro doctissimo ac cuius egregiam eruditionem magnaque de Thucydide

imprimis merita nemo me libentius agnoscit. Qui tamen ubi illam de Thucydide Herodoti auditore narrationem funditus evertere conatur, inconsultius agere mihi videtur ac vanis uti argumentis. Dicit enim (l. l. p. 24 sq.), adstipulans *Heilmanno* (in vita Thucydidis, quae interpretationi eius praefixa est): „hanc narrationem fabulosam videri, quod Thucydide puero Herodotus modo tredecim annos natu maior libros suos demum multis terris peragratis scriptos recitare haud facile potuisset." Recte quidem, si statuendum esset, integrum quod exstat opus recitatum esse, adeoque omnes illas terras, quas vidisse Herodotum opus illud evincit, iam tum peragratas ei fuisse. At quid impedit, quo minus partem aliquam itinerum iam tum confecisse partemque historiarum absolvisse credatur, duodetriginta, ut vidimus, annos natus? — Nam si pergit V. D.: „Res vero iam per se incredibilis, repugnat enim ingenio Thucydidis, qui vulgi iudicis contemptorem se ostendit neque ullam unquam Herodoti historiae ab iis, quae ipse in historia spectanda putabat, alienissimae admirationem prodit": hoc quam debile sit argumentum, nemo non videt. Quis enim sibi persuaserit, pueri Thucydidis animum iam adeo conformatum et perfectum fuisse, ut eandem historiae scribendae rationem, quam postea veram esse cognovit, iam id aetatis mente conceperit, ob eamque animi affectionem plane sensu eo caruerit, quo plausu illo, quem optime meritum Herodoto Graeci tribuebant, suaque ipsius admiratione commotus, aemulatione quadam ad similis lau-

dis studium accenderetur? Mihi quidem quam maxime probatur, qui vir vel potius senex (nam idem Poppo l. l. p. 30. Thucydidem sexaginta septem vel octo demum annos natum ad historiam vere componendam accessisse censet) Thucydides evasit, eum adolescentem admiratum fuisse Herodotum. Quod non vidisse Popponem, eo magis miror, quod ipse (l. l. p. 83 sq.) inter eas caussas, e quibus conflatam talem, qualis est, Thucydideae historiae indolem dicit, rectissime affert etiam „conditionem Athenarum Thucydidis aevo magnopere commutatam. Quamquam enim, inquit, inter illud tempus, quo Herodotus historiam suam Graecis recitavit atque id, quo belli Peloponnesiaci res consignare incepit Thucydides, pauci tantum anni intercesserant, tamen iis quum universae Graeciae tum Athenarum status plane mutatus erat."[27]) Ea autem rerum mutatio quum Herodoto recitante nondum evenisset, quo tandem modo iam tunc temporis efficere potuerit, ut ab Herodoti scribendi genere abhorreret Thucydides? Procul dubio mutatis demum temporibus etiam Thucydidis animus iam corroboratus sibique constans severiorem illam naturam induit.

Confutatis igitur istis argumentis quod praeterea obloquatur facto illi, e communi VV. DD. sententia supra prolato, nihil video. Immo quod non nihil ei patrocinetur habeo. Neminem enim, credo, fugit

27) Idem antea observaverat Cl. *Creuzerus* in libello qui inscribitur: *Herodot und Thucydides.* Lips. 1798. pag. 107.

memorabilis testium consensus in dictis illis, quibus Oloro gratulatus esse de filio fertur Herodotus: ὀργᾷ ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ, σου πρὸς μαθήματα apud Marcellinum; ἔστι ὁ παῖς — ὀργῶσαν ἔχων τὴν φύσιν πρὸς μαθήματα apud Photium; ὀργῶσαν ἔχει τὴν ψυχὴν πρὸς τὰ μαθήματα apud Suidam dicit (v. supra p. 25. et nota 22. 23.). Quem consensum fac inde ortum esse, quod alter alterum, aut cuncti alium quendam exscripserint, tamen aut ab istorum scriptorum quopiam, aut ab alio quovis, quem ante oculos haberent, confictum esse illud dictum, quis credat? Quod si confictum esset, haud sane, opinor, commentor ille, quisquis fuit, voce ὀργᾷν usus fuisset, quae vox hoc quidem metaphorico sensu minime vulgaris ac trita est, sed rarior paullo elegantiorque et maxime poëtica.[28]) Concedendum igitur, illud epiphonema fidei speciem evidenter prae se ferre, idque si genuinum est, auditum fuisse Herodotum recitantem a Thucydide, quod Olympiae evenisse diserte testatur *Suidas* (v. p. 24).

Nuperrime vero exstitit oppugnator quidam non modo huius rei sed omnino recitationis Olympicae acerrimus, *Dahlmannus*[29]). Qui vir pariter rerum, imprimis historicarum, scientia ac ingenii acumine et sagacitate praecellens, quae disserit ad nostram

28) V. Aeschyl. Choeph. 452. Ruhnken. ad Timaeum p. 194. — Proprio sensu de plantis, quae turgent et ad maturitatem pervenerunt, legitur apud Herodot. IV. 199.

29) In libro ceterum bonae frugis pleno: *Herodot. Aus seinem Buche sein Leben. Altona.* 1823.

quaestionem pertinentia, eo minus silentio praetermittenda duxi, quod haudquaquam temere et inconsiderate eam quam amplectitur sententiam protulit, sed rationibus, etsi non veris, certe plerisque speciosis munitam. Quas rationes, partim *ex ipsius facti natura*, partim *e Luciani indole* et fide historica, partim *ex Herodoti operis conditione et argumento* petitas, iamiam accurato subiiciemus examini.

Atque primum ipsum factum per se improbabile esse demonstraturus concedit quidem (l. l. p. 18), neque ullo modo negare potuit, non modo sacrificia et gymnica certamina celebrari solita esse Olympiae, sed in frequentissimo illo Graecorum ex omnibus regionibus conventu saepe etiam negotia publica tractata, civitatumque foedera sancita esse; atque etiam sophistarum (ut *Hippiae*, teste Platone in Hippia minore) fuisse illam scenam, in qua eloquentiae artisque rhetoricae et dialecticae specimina (ἐπιδείξεις) ederent. Nihilominus idem mox (p. 21.) contendit, fieri omnino non posse, ut quis praelegat populo universo, praelegendoque ab eo percipiatur; neque enim quemquam facile eiusmodi recitatione Graecorum admirationem et plausum retulisse, qui vel ipso loquente Demosthene nonnunquam dilapsi sint, neque ullum voce et lateribus tantum valere, ut praelegendo opus quodpiam cum multis millibus communicare possit. Hoc autem argumentum si quid valeret, eodem modo quo in Herodotum, etiam in omnes illos, qui postea Olympiae coram populo congregato utcunque orabant caderet: *Hippiam* Eleum, *Pro-*

dicum Ceum, *Anaximenem* Chium, *Polum* Agrigentinum, qui teste Luciano (l. l. p. 622 D.) pariter ac ἄλλοι συχνοὶ λόγους ἔλεγον ἀεὶ καὶ αὐτοὶ πρὸς τὴν πανήγυριν, ἀφ' ὧν γνώριμοι ἐν βραχεῖ ἐγένοντο. nam de his quoque rem finxisse Lucianum ne ipse quidem Dahlmannus arguit. — Atque quod vocis humanae infirmitatem impedimento esse dicit V. D. tali recitationi, quis, quaeso, non miretur? Nam hoc nemo, opinor, negabit, non ad unum omnes qui aderant illi panegyri recitatorem audire potuisse, neque voluisse. Certe ὁ συρφετώδης ὄχλος, quem vocat Lucianus (p. 625 sq.), ἀθλητῶν δὲ μᾶλλον φιλοθεάμονες, ἐν παρέργῳ τὸν Ἡρόδοτον τιθέμενοι Herodoti auditione supersedentes alia sibi iucundiora consectabantur, dum liberalioris quisque ingenii et educationis, sciendique cupidus attentis auribus et animo praelectoris verba hauriebat.

Sane quidem, quod negat fieri potuisse Dahlmannus, ut scilicet voce remissa, quali nos fere utimur in praelegendo, recitaverit Herodotus, nec ipse crediderim. Haud dubie elatiore quodam vocis sono usus est. At de eo quoque dubitat V. D. dicens (p. 22.) non modo acuto praeconis sono, sed ne oratoris quidem vi et impetu paullo maiori legere licuisse Nostro ob ipsum operis sui argumentum, quippe historiam, immo terrarum et urbium simplicem descriptionem continentis atque ab omni poëtico ornatu plane destitutam. Qua in re ipsos veteres scriptores obloquentes sibi habet. *Lucianus* enim inducit Herodotum ᾄδοντα τὰς ἱστορίας (v. locum supra

pra p. 24. enotatum), qua voce iustum quidem cantum ne intelligas, sed vividiorem paullo et ad poëtarum morem prope accedentem lectionem. Neque quisquam mirabitur eiusmodi Herodotei operis recitationem, dummodo reputaverit, omnino veterum sermonem cum modis tum numeris haud dubie multo vividiorem et incitatiorem fuisse, quam nostrum; atque consuesse Graecos, Herodoti certe aetate, historicum opus non aliter ac poëma considerare [30]). Quum enim cyclica carmina, quorum pedestris fere oratio argumentaque illi orationi congruentia solis versibus poësin ementirentur, nihilominus a rhapsodis viva voce canerentur [31]), quid mirum, quod antiquissimorum historicorum scripta, sola fere soluta oratione ab illis distantia, simili modo recitata sunt? Certe Herodoto id accidisse seriori etiam tempore, testatur *Athenaeus*, qui scribit (XIV. pag. 620. D. ed. Casaub.): ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐν τῷ μεγάλῳ θεάτρῳ ὑποκρίνασθαι [32]) Ἡγησίαν τὸν κωμῳδὸν τὰ Ἡροδότου, Ἑρμοφάντην δὲ τὰ Ὁμήρου, ubi neque in versus translatum Herodotum intelligere, neque τὰ Ἡσιόδου

30) Cf. *Creuzer: Herodot und Thucydides* p. 85 sqq., ubi egregie ostendit, etiam Dionysium Halicarn. eundem fere, quem vulgus, modulum historico operi admovisse, idque magis ex argumenti et orationis iucunditate ac gratia, quam gravitate severaque veritate iudicasse. Adde eundem Creuzerum in: *Die histor. Kunst der Griechen.* Leipz. 1803. pag. 206.

31) Cf. *Creuzer: histor. Kunst*, p. 204.

32) De huius vocis usu v. Wolf. Prolegg. ad Homer. pag. XCVI.

emendare opus est, quae est Dahlmanni coniectura. Atque Herodotus prae ceteris logographis in plurimis certe operis sui partibus aptissimus fuit ad talem recitationem propter eximiam illam vim mimicam et dramaticam, quam propriam ei esse observant veteres[33]), quaque supra cyclicorum poëtarum ingenium assurgens ad Homericī carminis naturam proxime accessit. Neque recte e veterum sententia iudicat Dahlmannus, omni poëtico ornatu vacare Herodotum, quem *Lucianus* (l. l.) scribit *ὑμνῆσαι τὰς τῶν Ἑλλήνων νίκας*, et de quo *Dionysius Halic.* (de Thucyd. Iudic. cap. 23. T. II. p. 147. ed. Sylb.): *οὗτός δὲ κατὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν, καὶ κατὰ τὴν τῶν σχηματισμῶν ποικιλίαν μακρῷ δή τινι τοὺς ἄλλους ὑπερεβάλετο καὶ παρεσκεύασε τῇ κρατίστῃ ποιήσει τὴν πεζὴν φράσιν ὁμοίαν γενέσθαι, πειθοῦς τε καὶ Χαρίτων καὶ τῆς εἰς ἄκρον ἡκούσης ἡδονῆς ἕνεκα. κ. τ. λ.*[34]); et *Hermogenes* (de Formis oration. Lib. II. p. 388.): *ἐν τοῖς καθ' ἱστορίαν πανηγυρικοῖς πανηγυρικώτατος ἐστιν ὁ Ἡρόδοτος. τὸ δ' αἴτιον, ὅτι μετὰ τοῦ καθαροῦ καὶ εὐκρινοῦς πολύς ἐστι ταῖς ἡδοναῖς· καὶ γὰρ ταῖς ἐννοίαις μυθικαῖς σχεδὸν ἁπάσαις καὶ τῇ λέξει ποιητικῇ κέχρηται διόλου. κ. τ. λ.*; denique Quintilianus (Inst. Orat. IX. 4.):

33) *Hermogenes* de Form. Orat. p. 388. ed. Sturm. Argentor. 1571. *ἤθη δὲ καὶ πάθη προσώπων, εἴπερ τις ἄλλος, κάλλιστα καὶ ποιητικώτατα μεμίμηται κ. τ. λ.* Cf. *Dionys. Halic.* de vett. scriptor. cens. cap. 3. V. etiam *Creuzer: hist. Kunst, p.* 205.

34) Cf. eiusdem Dionysii Epist. ad Cn. Pompeium, cap. 3.

„In Herodoto vero, cum omnia, ut ego quidem sentio, leniter fluunt, tum ipsa dialectus habet eam iucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur."

Ceterum neque multum nostra interest, nec si interesset accurate definiri posset, quatenus et quemadmodum elatior fuerit Herodoti recitatio. Haud dubie pro rei cuiusque, quam legebat, natura etiam recitandi modum variabat, ut nimirum alias rhapsodi vel oratoris, alias simplicis narratoris vel sermocinantis loquendi rationem sequeretur. Quamquam vel tenuissima penitusque aequabilis, modo alta claraque voce facta praelectio non vereor ne *ineffabile* illud *taedium*, quod vult Dahlmannus (p. 24.), attulerit auditoribus. Hoc ne fieret, providebat satis cum rerum narratarum summa varietas, tum sermonis suavitas, quam universa antiquitas uno ore laudat. Quibus rebus necesse erat, ut retinerentur auditores nova noscendi avidi; nam historias illas Asiaticas, quas potissimum Olympiae lectas esse coniicere licet, plerique certe illi terrae continentis incolae, quibus recitabat Herodotus, plane ignorabant, quippe quibus cum barbaris illis commercium tunc temporis aut nullum, aut multo rarius fuit, quam popularibus suis Asiae minoris oram incolentibus.[35]) At isti opinioni quid opus est propriis armis resistere, quum praesto sit propugnator haud sane invalidus, *Dionysius Halicarn.*, qui scribit disertis verbis (Epist. ad Cn.

35) Cf. *Creuzer: hist. Kunst. p.* 98.

Pompei. cap. 3.): συνειδὼς Ἡρόδοτος, ὅτι πᾶσα μῆκος ἔχουσα ἀπὸ λόγου διήγησις, ἂν μὲν ἀναπαύσεις τινὰς λαμβάνῃ, τὰς ψυχὰς τῶν ἀκροωμένων ἡδέως διατίθησιν, ἐὰν δ' ἐπὶ τῶν αὐτῶν μένῃ πραγμάτων, κἂν τὰ μάλιστα ἐπιτυγχάνηται, λυπεῖ τὴν ἀκοὴν τῷ κόρῳ· ποικίλην ἐβουλήθη ποιῆσαι τὴν γραφήν, Ὁμήρου ζηλωτὴς γενόμενος, καὶ γὰρ τὸ βιβλίον ἦν αὐτοῦ λάβωμεν, μέχρι τῆς ἐσχάτης συλλάβης ἀγάμεθα καὶ ἀεὶ τὸ πλεῖον ἐπιζητοῦμεν.[36])

Alterum argumentum, quo rem per se improbabilem ostendere annititur Dahlmannus (p. 22.) est, quod aliud eiusmodi recitationis exemplum frustra quaesiverit. Nec ipse quidem ante Herodoti aetatem quod afferam exemplum habeo. Postea vero saepius idem aut simile quoddam accidisse, supra vidimus (p. 31 sq.). Quin etiam ante quam Herodotus viam illam qua innotesceret, iniverat, a logographis quoque palam lectiones similes habitas esse, quamquam non Olympiae, sed in singulis iis civitatibus, quarum singuli quique origines et res gestas enarraverant: id quum supra (p. 33.) iam probare studuerimus, plane tibi, ni fallor, persuadebunt, verba haecce *Thucydidis* (I. 21.): — „καὶ οὔτε ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν, ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες, μᾶλλον πιστεύων, οὔτε ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει, ἢ ἀληθέστερον, ὄντα ἀνεξέλεγκτα, καὶ τὰ πολλὰ ὑπὸ χρόνου αὐτῶν ἀπίστως ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐκνε-

36) Cf. eundem *Dionysium* de Compos. Verbor. cap. 19; *Ciceron.* de Oratore II. 13.

νικηκότα κ. τ. λ. Cf. I. 22.: καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν (τῶν ἔργων sc.) ἀπερπέστερον φανεῖται κ. τ. λ. et mox: κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον, ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται. Cum quibus conferre possis locum *Dionysii* supra (p. 36.) descriptum, qui similiter utitur verbis ἀκροωμένων — ἀκοὴν, quamquam ibi narrationem omnino non litteris mandatam, sed modo viva voce traditam recte fortasse intelligas; et *Marcellin.* in vita Thucyd. §. 48. (p. 332. apud Poppon.), ubi de Thucydide haecce dicit: τῷ συγγραφεῖ δ' οὐκ ἐμέλησε πρὸς τέρψιν τῶν ἀκουόντων, ἀλλὰ πρὸς ἀκρίβειαν τῶν μανθανόντων γράφειν. Quibus omnibus collatis nonne luce clarius fit, omnino in usu fuisse illis temporibus, ut etiam prosae orationis opera atque imprimis logographorum scripta recitationibus habitis in publicum ederentur? Quae consuetudo quomodo per ipsam rei naturam ex epica Homeri et cyclicorum poësi traducta eoque sustentata sit, quod multis difficultatibus tunc impedita erat librorum per codices manu scriptos divulgatio, quis non videt? — Equidem persuasum mihi habeo, etiam Herodotum auditoribus potius, quam lectoribus scripsisse (etsi prorsus contrarium contendit Dahlmannus p. 111.) eique delectationem quoque nonnihil curae fuisse, quam curam Thucydides demum, longe alium et diversum historiae scopum secutus, plane deposuit.

Sed iam satis mihi videor ipsius rei probabilitatem demonstrasse, venioque ad alterum adversarii locum, quo omnem Luciano fidem historicam derogans

ex mera eius libidine totam illam narrationem conficta esse probare tentat (p. 26 sqq.). Qua in re libere concedo, scriptorem illum ludicra magis quam seria aucupari, atque omnino facetiis et leporibus delectare potius, quam rerum veritate et utilitate docere voluisse lectores. Concedo multa inesse in eius scriptis, quibus refragetur severior historia. Quamquam enim in libello de conscribenda historia ipse egregia ac verissima historiae scribendae praecepta, ad Thucydidis severitatem proxime accommodata, edidit, quae utinam omnis temporis scriptores observassent: tamen ipse historicus esse omnino noluit, neque ipsius indoles legibus istis adstringi sese passa est.[37]) — Verumtamen quotquot errores historicos Luciano exprobrat Dahlmannus, sive inscitia, sive incuria, seu denique consilio profectos, longe aliter eos habere sese invenies, ac nostrum illum de Herodoto locum. Nam quae reprehendit V. D. in Luciano, ea partim ex sententia et mente scriptoris ad irridendum proclivioris fluxerunt (ut narratio de *Peregrino Proteo*, quem longe aliter depingit *Gellius* XII. 11.; Pythagorae contemptus, calumnia in Aristotelem et Aristidem, odium in Christianos etc.); alia quae aperte falsa deprehendimus, obiter tantum attinguntur, neque quemadmodum narratio illa de Herodoto libelli alicuius summam conficiunt. Nonnulla deni-

37) Assentiri enim nolim Cl. Creuzero *(hist. Kunst,* p. 222*)*, cui sententia Luciani illa de historia scribenda etiam e reliquis ipsius scriptis elucere videtur.

que iniuria aut certe non idoneis de caussis in dubitationem vocat Dahlmannus, v. c. narrationem de obitu Demosthenis. — Iam considera, quaeso, intento modo nec praeoccupato animo libellum illum, qui Herodoti nomine insignitur, ut plane tibi persuadeas, quantumvis fide indignum fabulatorem putes Lucianum, istam narrationem commenticiam esse nullo pacto posse. Acroamatis in Macedonia habendis orationem hanc, qua auditorum captet benevolentiam, praemittit. Circumspicit nobilis cuiusdam scriptoris exemplum, qui similem viam ineundo innotuerit. Qua in re cur, quaeso, Herodotum potissimum delegisset, cur de eo fabulam commentus esset, ubi non deerant vera eius rei exempla? — Considera porro, non coram plebe rudi et indocta habitam esse hanc orationem, sed praesentibus viris, de quibus ipse ait (l. l. sub fin.): „*αὐτοί τε οὖν συνεληλύθατε, ὅτι περ ὄφελος ἐξ ἑκάστης πόλεως, αὐτὸ δὴ τὸ κεφάλαιον Μακεδόνων ἀπάντων· καὶ ὑποδέχεται πόλις ἡ ἀρίστη οὖσα οὐ κατὰ Πίσαν, μὰ Δία — — οἵ τε αὖ παηγυρισταὶ οὐ συρφετώδης ὄχλος, — ἀλλὰ ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων καὶ σοφιστῶν οἱ δοκιμώτατοι κ. τ. λ.* Num tali conventui imponere vanam narratiunculam in animum induxerit, qua scilicet se iis commendaret, eamque de tam inclyto scriptore, quem omnes norant, ac cuius multi fortasse vitam et fata aliunde comperta habebant? Adspice denique, quae deinceps annectat illi narrationi. Nominat aliquot viros, qui postea Herodotum imitabantur; copiose narrat historiam de *Aëtione* pictore, qui sua ipsius memoria (*τὰ τελευ-*

ταῦα ταῦτα) tabulam exposuerat Olympiae. Taliane igitur facta certissima fictioni illi asserere non dubitaverit?

Negari sane non potest, nullum ante Lucianum scriptorem, quotquot effugerunt temporum iniquitatem, recitationis illius Olympicae diserte meminisse. Num vero obscure Herodotum *recitantem* tangit Thucydides (I. 21. 22.) verbis illis, quae supra enotavimus (p. 36 sq.), quibus Herodotum imprimis respici etiam Lucianus vidit (de conscrib. hist. T. I. p. 695. ed. Bened.), item Scholiasta, qui ad utrumque Thucydidis locum annotat: αἰνίττεται τὸν Ἡρόδοτον. Nam quod logographis ibi annumeratur Herodotus, id non nisi eum morabitur, qui ignorat, a recentioribus quoque saepissime eundem λογογράφον sive λογοποιὸν vocari[38]) (qua de re alio loco pluribus agemus), atque omnino e Thucydidis sententia ab iis, qui nobis dicuntur logographi, nihil distabat Herodotus. Praeterea ἀγώνισμα illud ἐς τὸ παραχρῆμα quod vocat Thucydides annon optime convenit cum Luciani narratione, quae ἀγωνιστὴν Herodotum inducit?[39]) —

38) Cf. *Creuzer: Herodot u. Thucyd.* p. 4 sqq., 18 sqq.; Poppo: Prolegg. ad Thucyd. Vol. I. p. 19, 20.

39) Lucianum ista voce utentem de Thucydidis loco cogitasse, etiam *Creuzerus* suspicatus est (*Herodot u. Thucyd.* p. 14 sq. cf. p. 36). Ceterum quod contendit Dahlmannus (p. 218) Thucydidis vocem ἀγώνισμα in Herodotum cadere non posse, quippe qui sine competitore recitasse dicatur: fugit Virum D. haud rarus verbi ἀγωνίζεσθαι usus, ex quo omnino de oratorum contentione dicitur, etiamsi nullum certamen propositum

Sed esto non cogitasse Thucydidem de Herodoto, an plane nihili aestimanda posteriorum, Marcellini inquam, Photii, Suidae, testimonia de Thucydide Herodoti auditore, quam rem Olympiae accidisse expresse addit Suidas (v. supra p. 24.). Quodsi Olympicam recitationem a Luciano confictam censes, Dahlmanno adstipulans, seriores scriptores, non contentos adscita sibi illa Lucianea fictione, aliam insuper fabulam de Thucydide affinxisse dicas necesse est. Qua opinione ductus, cave ne ipse fabulosa potius, quam vera sectari videaris; ut taceam Thucydidis illas lacrymas etiam aliis caussis, quas supra attulimus (p. 29, 30.), comprobari.

Reliquum est, ut ea argumenta examinemus, quae tam e singulis Musarum locis, quam ex universo operis Herodotei natura et colore deducit Dahlmannus. Verum quidem est, satis magnum rerum gestarum numerum commemorari in libris Herodoti, quae post Olympicam illam demum recitationem evenerunt, siquidem eam incidisse statuimus in Olymp. 81. a. 1. a. Chr. 456. (v. supra p. 26.). Quo ipso vel certe proxime superiore anno mortuus erat *Aeschylus*, quem nihilominus „ποιητέων τῶν προγενομένων" dicit Herodotus (II. 156.). Praeterea Dahlmannus, qua est sagacitate, optime ostendit (p. 68 sq.) Aegyptum intra annos a. Chr. 454 — 444 demum a scriptore nostro peragratam fuisse; atque haud exi-

---

est. V. Platon. Sympos. p. 194. a.: καλῶς γὰρ αὐτὸς ἠγώνισαι, ὦ Ἐρυξίμαχε, ibique Wolfii notam.

guam seriem factorum annum a. Chr. 456. excedentium, quorum mentio fit apud Herodotum, et ab eodem V. D. concinnatam reperies (p. 39 — 47), et nos dabimus infra (cap. IV.). Verumtamen his omnibus nihil amplius probatur, nisi id quod identidem et ipsi monuimus: nempe haud integrum illud, quod nos habemus, opus recitatum fuisse in illa panegyri, quod ut iam tum absolutum fuerit, multum haud dubie afuit; nihil quicquam lectum fuisse, non probatur. Atqui ex cunctis istis factis non nisi unum, idque omnium postremum, Medorum a Dario Notho defectio, quae evenit Olymp. 93. a. 1. a. Chr. 408, in *primo* Herodoti *libro* deprehenditur (I. 130.). Hic vero liber quas complectitur historias, si summam spectas, Asiaticas, Olympiae recitatas esse crediderim, quamquam episodia quaedam postea ei inserta esse opinor. Etenim iter Herodoti in Asia cetera omnia itinera tempore praegressum atque statim ab Halicarnasso aut Samo inde institutum esse mihi videtur ea via, quam ipse Herodotus indicat (V. 52 sqq.); ea autem, quae per Africam et Europam fecit itinera, post transitum demum in Graeciam Europaeam ideoque post Olympicam recitationem aggressus est, ut mihi quidem persuasum habeo. Cum qua opinione optime congruit ea, quam modo memoravi, Dahlmanni sententia de tempore, quo Aegyptum peragrasse putandus sit. Illud vero factum, quod e primo libro modo citavimus, Thuriis additum esse apparet, ubi omnes quoque ceteros locos, quos affert Dahlmannus (p. 50 sqq. cf. infra cap. IV.), scriptos esse

libenter concedimus. Nam, ut iterum dicam, non perfectos novem libros Olympiam attulit, sed exiguam eorum partem, et mea quidem sententia eam, quae continet res Asiaticas, quibus, ut dixi, constat fere liber primus. Quodsi Lucianus (in loco p. 23 sq. descripto) haud obscure significat, legisse Herodotum universas suas historias eodem quo nunc leguntur ordine, nominatimque Persicorum bellorum enarrationem: id, quod supra (p. 27.) a nudo simpliceque facto segregatum in medio reliquimus, nunc falsum esse fidenter declarare nobis licet. Neque enim assequor, quam ob caussam maiorem Luciano iniuriam inferri dicat Dahlmannus (p. 36.) „detorquendo" (nam ea voce utitur) eius verba, quam totam rem fictam ab eo esse arbitrando. Simplex factum traditum sibi habebat; in quo pro suo arbitrio amplificando si paullo liberius, ut fere solet, egisse eum existimamus, num verba eius detorquemus?

Verum non modo singulis locis in opere Herodoteo obviis reprobari Olympicam recitationem V. D. contendit; etiam universum eius tenorem atque indolem minime eam esse censet (p. 25.), qua Graecorum omnium plausum et admirationem adipisci potuisset Herodotus, quippe qui in narrandis Graecorum rebus quantumvis egregie gestis tam singulorum hominum eorumque clarissimorum, quam civitatum populorumque vitia et delicta candidissime ubique detegat. Hoc autem argumentum in solam Graecorum historiam, imprimisque Persici belli descriptionem aliquantum valeret; amittit omnem vim, si no-

biscum statueris, non illas historias recitatas esse Olympiae. — Vehementer vero errat Dahlmannus, ubi (p. 31 sqq.) veteres Graecos plerosque sic animatos fuisse arbitratur in Herodoti opus, ut id minime iis probaretur, sed potius displiceret, atque omnino vituperatores plures, quam laudatores adeptum sit.[40]) Quod si verum esset, unde, quaeso, Musarum nomina libris Herodoteis indita? Et quam parum commode ac prudenter Herodotum potissimum, invisum scilicet auditoribus, exemplum sibi accivisset Lucianus? Quam graviter auditorum menti repugnavisset eius de Herodoto sententia. Annon summam huic scriptori venerationem et admirationem non modo a semet ipso, sed omnino a Graecis tributam apertissime declarat hisce verbis (Herodot. s. Aëtion. init.): Ἡροδότου εἴρε μὲν καὶ τἄλλα μιμήσασθαι δυνατὸν ἦν, οὐ πάντα φημὶ ὅσα προσῆν αὐτῷ, (μεῖζον γὰρ εὐχῆς τοῦτό γε), ἀλλὰ κἂν ἓν ἐκ τῶν ἁπάντων, οἷον ἢ κάλλος τῶν λόγων, ἢ ἁρμονίαν αὐτῶν, ἢ τὸ οἰκεῖον τῇ Ἰωνίᾳ καὶ προσφυὲς, ἢ τῆς γνώμης τὸ περιττὸν, ἢ ὅσα μυρία καλὰ ἐκεῖνος ἅμα συλλαβὼν ἔχει, πέρα τῆς εἰς μίμησιν ἐλπίδος κ. τ. λ. et in eodem scripto (p. 624 sq. ed. Bened.): Ἡρόδοτος μὲν οὖν — ἱκανὴν τῶν Ὀλυμπίων τὴν πανήγυριν ἡγεῖτο, καὶ συγγραφέα θαυμαστὸν δεῖξαι τοῖς Ἕλλησι τὰς Ἑλληνικὰς [νίκας] διεξιόντα, ὡς ἐκεῖνος διεξῆλθεν· ἐγὼ δὲ, καὶ πρὸς Φιλίου,

40) Contrariam prorsus sententiam postea vidi egregie iam probavisse *Creuzerum: Herodot u. Thucydides* p. 114 sq.; et ante eum professum esse Wesselingium in Dissertatione Herodotea, cap. VI. init. pag. 45 sq.

μή με κορυβαντιᾶν ὑπολάβητε, μηδὲ τἀμὰ εἰκάζειν τοῖς ἐκείνου· ἵλεως ὁ ἀνὴρ. κ. τ. λ. — Quodsi Dahlmannus (p. 31.), quo probet suam sententiam, *Plutarchi* librum citat *de malignitate Herodoti*, eum nostrae potius sententiae favere, quis non videt? — Etenim si tanto in odio apud Graecos erat Herodotus, quid opus fuit illo libro, quem nullo alio consilio conscripsit Plutarchus, nisi ut invidiam insigni illi scriptori conflaret, qui popularium suorum ignaviam notaverat. Aut omnino non, aut certe minori cum acrimonia, ne dicam acerbitate, scripsisset. Adspice modo tales Plutarchi locos, quales hi sunt (de Herod. malign. cap. 1. init.): Τοῦ Ἡροδότου πολλοὺς μὲν — καὶ ἡ λέξις, ὡς ἀφελὴς καὶ δίχα πόνου καὶ ῥᾳδίως ἐπιρέχουσα τοῖς πράγμασιν, ἐξηπάτηκε· πλείονες δὲ τοῦτο πρὸς τὸ ἦθος αὐτοῦ πεπόνθασιν. — — Ἐπειδὴ δὲ κακοηθείᾳ μάλιστα πρός τε Βοιωτοὺς καὶ Κορινθίους κέχρηται, οἶμαι προσήκειν ἡμῖν, ἀμύνεσθαι ὑπὲρ τῶν προγόνων ἅμα καὶ τῆς ἀληθείας. (cui bono, quaeso, ista vindicatio, si communi hominum sententia satis iam vindicatae erant illae gentes?) — — ἀλλὰ Δεινὸν τὸ τᾶς πειθοῦς πρόσωπον, ὥς φησιν ὁ Σοφοκλῆς, μάλιστα δὲ, ὅταν ἐν λόγῳ χάριν ἔχοντι καὶ δύναμιν τοσαύτην ἐγγένηται, τάς τ' ἄλλας ἀπορίας καὶ τὸ ἦθος ἀποκρύπτειν τοῦ συγγραφέως. Confer cum his, quae sub finem eiusdem libelli (c. 43.) leguntur: τί δῆτα; γραφικὸς ἀνὴρ, καὶ ἡδὺς ὁ λόγος, καὶ χάρις ἔπεστι καὶ δεινότης καὶ ὥρα τοῖς διηγήμασι.

Μῦθον δ' ὡς ὅ τ' ἀοιδὸς ἐπισταμένως
μὲν οὐ, λιγυρῶς δὲ καὶ γλαφυρῶς ἠγόρευκεν. ἀμέλει

ταῦτα καὶ πηλεῖ, καὶ προσάγεται πάντας. Hiscine clariora argumenta desideras, quibus credas, Plutarchum non modo cum Herodoto, sed cum universa fere Graecia certamen iniisse, quum invaserit in illum scriptorem, qui apud plurimos summis honoribus et laudibus florebat, quemque vel acerrimus adversarius egregia dicendi vi et suavitate privare non ausus, modo his sermonis virtutibus mentis vitia occultasse et quasi occaecatos omnes in sui admirationem rapuisse insimulabat. Atque iisdem virtutibus una cum summa rerum varietate et novitate etiam Olympica illa hominum multitudo oblectabatur (cf. supra p. 34 sqq.); non de veritatis studio deque fide auctoris iudicium ibi fiebat (v. Dahlmann. p. 33.). — Quodsi quis dicat: „eius fortasse aetatis, qua floruere Plutarchus et Lucianus, homines, quo dicis animo fuerint in Herodotum, at non itidem ipsi Herodoti aequales": eum rogo, ut respiciat Thucydidis (I. 21. 22.) verba supra (p. 36 sq.) allata, quibus satis apparet, etiam tunc temporis plurimis certe acceptissimum Herodotum fuisse. Quamquam aliquot annis post Olympicam recitationem postquam *Graecas* historias quaqua ratione auctor vulgaverat, nec ipse negaverim, quin eximia illa loquendi ac vel occultissima in lucem protrahendi licentia apud multos cum privatos homines, tum civitates offenderit, indeque haud paucorum odium et inimicitiam contraxerit. Quae res forsitan aliquatenus fuit in caussa, cur coloniae Thurios in Italiam deductae sese adiungens

e Graecia plane discesserit; ut adeo haud falso huc referas epigrammatis verba:

τὸν δ' ἄρ' ἄπληστον
Μῶμον ὑπεκπροφυγὼν Θούριον ἔσχε πάτρην·

siquidem hanc nostram lectionem comprobaveris (v. supra n. 14.). Sed neque id dubitari potest, quin proxima statim aetate, privatis eiusmodi odiis sedatis, Herodotei operis praestantia et amplitudo quam plurimum valuerit ad lectorum animos sibi conciliandos, quamvis fidem ei plerique derogabant.

Iam unum modo superest argumentum a Dahlmanno sententiae nostrae obiectum: quod scilicet totus operis Herodotei color *(„der Ton seines Werkes"* p. 20.*)* minime iuvenis indolem prae se ferat, sed sereni, vigentis, facilis multarumque rerum periti senis placidam affabilitatem (p. 52.). Quam rem quominus concedamus, nil impedit. Enimvero etsi veterum nemo diserte id tradit, per se verisimillimum est, Herodotum Thuriis, ubi operi finem imposuit, etiam quae iuvenis scripserat denuo castigasse ceterisque cum maturioris demum aetatis iudicio consignatis accommodasse. Quamquam etiam haec opinio hactenus tantum optabilis erit, quo sententias Herodoti morales ac religiosas atque omnino animi affectionem explices, quae re vera magis seniori sibique plane constanti viro, quam adolescentis levitati videtur convenire. Nam ad dictionem narrandique rationem quod attinet, eam e temporis potius, quam scriptoris aetate natam crediderim. Quippe facillime nos in eum incidimus errorem, ut quae omnino pro-

sae illius temporis orationi vixdum ex epica poësi emergenti fuit indoles, eam singulo scriptori attribuamus. Iam vero epicae poësis, indeque Herodoti, qui Ὁμηρικώτατος a veteribus vocatur, sermo laxior paullo ac fusior est; unde si coniicias, senem Herodotum scripsisse, vide ne incautius iudices.[41]) Rectius indidem tibi persuadeas, necesse fuisse, ut scripserit Herodotus diu ante Thucydidem, in quo orationis genus, si spectas brevitatem, concinnitatem et periodicam sententiarum structuram mirum quantum provectum cernimus.

Hic tandem finem facere licet longae huius disputationis. Satis enim ab omni parte mihi videor vindicasse eius rei, quam tueri suscepi, aut veritatem, aut certe summam probabilitatem, qua demonstrata in rebus historicis testium auctoritatem sequendam esse censeo.

Manet igitur, legisse Herodotum Olympiae, audiente Thucydide, eamque recitationem verisimillimum est incidere in Olymp. 81. (v. supra p. 26.). Sed partem tantum aliquam historiarum suarum tunc consignatam habere et legere potuit, quam constitisse Asiaticis historiis, quas nunc fere continet liber primus, coniicere licet (cf. p. 42.). Falsi igitur sunt recentiores plerique, qui eas Musarum partes ibi recitatas fuisse arbitrabantur, quibus Graecorum laudes et praeclare facta celebrabantur.[42]) — Ceterum si ea,

41) Cf. *Creuzer: histor. Kunst.* p. 144.

42) V. *Larcher.* l. l. p. LXXIX. *David. Schulz:* Disserta-

ea, quae diximus, legit Herodotus, Asiam ante transitum in Graeciam Europaeam et praelectionem Olympiae habitam perlustrasse putandus est, ex quo itinere redux Sami in consignandis, quae aut visu aut sciscitando compererat, aliquantum temporis videtur consumpsisse; indeque Halicarnassum reversus quum post tyrannum expulsum in civium invidiam incurrisset, non Thurios statim (ut refert Suidas), sed Olympiam petiisse.

tio de Herodoti Vita etc. p. 9. (ubi quid sibi velit locus Gellii XV. 23. citatus, non assequor.)

III.

Vitae decursus usque ad Olymp. 84. — *De recitatione Athenis habita, deque commercio, quod intercessisse fertur Herodoto cum Corinthiis et Boeotis.*

Colonia illa Atheniensium ad Thurios condendos in Italiam missa, cui se adiunxisse Herodotus a multis veteribus praeter Suidam (v. Ἡρόδοτος) traditur, vulgo asseritur Olymp. 84. a. 1. a. Chr. 444. Intercessere igitur duodecim anni inter recitationem Herodoti Olympiae habitam et hanc migrationem. Quod tempus quibus in negotiis consumpserit, nemo diserte ait, ut adeo *Wesselingius* (Praef. ad Herod. p. XXIII. ed. Schweigh. p. VI. ed. Gaisf.) sincere fateatur, „ubi post Olymp. 81. et qua Graeciae in urbe commoratus fuerit, an peregre denuo abierit, dicere se non habere." — In patriam rediisse Herodotum, neque veterum quisquam refert, neque per se verisimile est, quum dubitari nequeat, quin, antequam Thurios discesserit, et Graeciam contiguasque Graeciae terras et Aegyptum peragraverit. Quas terras diligentissime a nostro scriptore visitatas et perlustratas esse, ipsum eius opus aperte declarat (v. infra cap. V.). Incidere autem haec itinera in id quod diximus temporis spatium, Aegyptum quod attinet, iam supra (p. 41.) monuimus, Dahlmanno adstipulantes. Sed etiam itinera per Graeciam his an

nis facta esse, vel eo probatur, quod ex quo Thurios abiit, mansisse ibi videtur, neque inde in Graeciam sese recepisse (v. infra cap. IV.). Accedit huc aliud quoddam factum, quod intra illud tempus accidisse memoriae proditum est, de quo nunc dicendum nobis erit.

Plutarchus in libello de malignitate Herodoti (c. 26. p. 862. B.) refutata Herodoti (V. 106.) narratione de Lacedaemoniis, plenilunii exspectatione a pugna Marathonia detentis, postquam criminatus est Herodotum, quamquam Graecorum res scribere professus sit, Atheniensibus prae ceteris studuisse (ἐοικότα δεδιέναι περὶ τὰς Ἀθήνας διαφερόντως): deinde haecce addit: ἀλλὰ τοῦτό γε βοηθεῖ τῷ Ἡροδότῳ πρὸς ἐκείνην τὴν διαβολήν, ἣν ἔχει κολακεύσας τοὺς Ἀθηναίους, ἀργύριον πολὺ λαβεῖν παρ' αὐτῶν. εἰ γὰρ ἀνέγνω ταῦτ' Ἀθηναίοις, οὐκ ἂν εἴασαν οὐδὲ περιεῖδον, ἐνάτῃ τὸν Φιλιππίδην παρασαλεύοντα Λακεδαιμονίους ἐπὶ τὴν μάχην ἐκ τῆς μάχης γεγενημένον, καὶ ταῦτα, δευτεραῖον εἰς Σπάρτην ἐξ Ἀθηνῶν (ὡς αὐτός φησιν) ἀφιγμένον· εἰ μὴ μετὰ τὸ νικῆσαι τοὺς πολεμίους Ἀθηναῖοι μετεπέμποντο τοὺς συμμάχους· ὅτι μέντοι δέκα τάλαντα δωρεὰν ἔλαβεν ἐξ Ἀθηνῶν, Ἀνύτου τὸ ψήφισμα γράψαντος, ἀνὴρ Ἀθηναῖος οὐ τῶν παρημελημένων ἐν ἱστορίᾳ, Δίυλλος, εἴρηκεν. — Quae paullo obscuriora ita interpretor: „At hoc quidem (sc. falsa illa, secundum Plutarchum quidem, narratio de pugna Marathonia) auxiliatur Herodoto contra illam accusationem, ex qua adulatus Atheniensibus magnam pecuniae vim ab iis accepisse fertur. Nam si reci-

tasset ea Atheniensibus, non transmisissent, neque neglexissent, Philippidem, siquidem nono mensis die Lacedaemonios ad pugnam advocasset, post pugnam id fecisse, praesertim si (ut ipse ait Herodotus) Athenis Spartam secundo die pervenit; nisi forte devictis demum hostibus Athenienses socios arcessebant." (Contendit enim Plutarchus in antecedentibus, sexto mensis Boedromionis die pugnam commissam fuisse.) „Quamquam decem talenta dono accepisse Herodotum ab Atheniensibus ex decreto, rogante Anyto, vir Atheniensis non contemnendus in historia, *Diyllus*, tradidit."

Proposui hunc locum Plutarchi non ut inquiram quo iure, quave iniuria iis quae refert Herodotus fidem deroget Plutarchus, quam quaestionem, utpote alienam a nostro proposito, nunc quidem in medio relinquamus.[43]) Solam eam famam nunc specto, quam percrebuisse clare suadent Plutarchi verba, nimirum: *recitasse Herodotum Atheniensibus, praemioque ab iis publice decreto honoratum esse.* Neque id moramur, quod Plutarchus quidem in dubitationem vocare videtur eam rem, dicens Athenienses non neglecturos fuisse falsam illam, quam Herodoto exprobrat, narrationem. Maiorem enim fidem *Diyllo*[44]) adiungimus, quem idem auctorem dicit non

43) Plura hac de re quaerentem delego ad egregiam *Larcheri* notam in hunc Plutarchi locum. V. eius versionem Herodoti T. VI. p. 472 sqq.

44) *Diyllus* Atheniensis universi orbis res gestas a Philomeli sacrilegio inde usque ad Agathoclis, tyranni Syracusani

spernendum; neque ab hoc scriptore talem rem conficta̅m esse credes, dum modo reputaveris et accuratam praemii summam, et ipsum decreti illius rogatorem Anytum memorari.

Exstat praeterea eiusdem rei testis *Eusebius*, qui scribit in Chronicis sub Olymp. 83. a. 4. (p. 169): Ἡρόδοτος ἐτιμήθη παρὰ τῶν Ἀθηναίων βουλῇ ἐπαναγνοὺς αὐτοῖς τὰς βίβλους; quibus quin idem factum significetur, dubitatio nulla est. Perperam *Hieronymus* ita haec interpretatus est, quasi *in senatu*, sive, ut ipse loquitur, *in concilio* legerit Herodotus [45]), quem satis perspicue Graeca declarant omnino Atheniensibus (αὐτοῖς) recitasse, sed ab eorum senatu, i. e. ex senatusconsulto, honoratum esse.

Itaque alteram recitationem Athenis institutam esse, testibus illis credimus, unde haud parum etiam priorem illam Olympicam confirmari, neminem fugiet. Quodsi Eusebius asserit hoc factum Olymp. 83. a. 4, qui est a. Chr. 445 proximeque superior coloniae Thuriensis anno, optime quidem temporis ratio comparata est. Quamquam isti anno haud prorsus

---

obitum XXVII aut XXVI libris contexuit, ut coniicere licet e *Diodori Sic.* lib. XVI. cap. 14. coll. Eiusdem lib. XXI. ecloga 5. (ubi perperam Δίαλλος legitur). Floruisse videtur circiter annum a. Chr. 250; certe Ptolemaeo Philadelpho antiquior esse non potest. Citatur praeterea a *Plutarcho:* De gloria Atheniensium cap. 1. et ab *Athenaeo* pluribus locis. Cf. Ger. Vossium de histor. Graec. lib. III. p. 360.

45) Scribit enim p. 132: „Herodotus, quum Athenis libros suos in concilio legisset, honoratus est." Cf. Scaligeri Animadverss. ad Euseb. Chron. p. 104.

adhaerendum censeo. Vix enim credibile est ad solam hanc recitationem audiendam populum Atheniensium convocatum fuisse; haud dubie solemnis aliqua congregatio legendi occasionem scriptori nostro praebuit. Unde probabilem coniecturam fecit *Scaliger* (ad Euseb. l. l.), contigisse praelectionem illam *Panathenaeorum* festo, quam tamen coniecturam si pro re certa et explorata recentiores nonnulli[46]) perhibuerunt, illis assentiri nolim. Iam vero Panathenaeorum maiorum celebratio quum incidat in tertium quemque Olympiadis annum, unius anni metachronismum ab Eusebio commissum esse idem Scaliger autumat, retroque ponit recitationem illam in Olymp. 83. a. 3, quo celebrata sunt Panathenaea, praetore Callimacho. Qua in re non magnopere adversari viro summo in animo habeo; quamquam fieri quoque possit, ut in minorum Panathenaeorum festo recitaverit Herodotus, quae quotannis celebrata esse constat[47]), quod si statueris Eusebii annum tueri poteris.[48])

Ceterum Panathenaea prae aliis solemnibus opportunitatem tali recitationi praebuisse, vel eo facile tibi persuadeas, quod, praeter sacra, non modo gymnica sed etiam musica certamina in hoc festo insti-

46) Inter quos est Dav. Schulz l. l. p. 10.

47) V. Harpocrationis lexic. v. Παναθήναια.

48) Quibus autem adductus rationibus *Creuzerus* (*histor. Kunst* p. 95. nota 108) in Olymp. 84. a. 1. promoveat hanc Panathenaicam praelectionem, non assequor.

tui solebant, carminaque cani a rhapsodis[49]); quin posteriori aevo orationes quoque habebantur, cuius rei exemplum superest *Isocratis Panathenaïcus*. Neque enim si *Lycurgus* (in Leocrat. p. 209. vol. IV. ed. Reisk.) tradit, ex vetere instituto, quod ab Hipparcho profectum accepimus, solius *Homeri* carmina ibi recitata esse, ita hoc intelligendum est, quasi alius cuiusvis recitatio omnino prohibita fuerit. Nam si Homeri carmina de more canebantur, quoties festi illi dies redibant, hoc non impedit, quo minus et aliis eius aetatis auctoribus licuerit in una alterave illius festi celebratione sua opera recitare. Quin etiam saepius repetitam recitationem per aliquod certe tempus praeter Homerum *Choerili* quoque *Samii* carmini de bello Persico ex Atheniensium decreto contigisse, satis idoneis rationibus probavit *Naekius* (Choerili Fragmm. p. 89.), auctore *Suida*, qui scribit de Choerilo: καὶ σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγινώσκεσθαι ἐψηφίσθη. Quae cum ita sint, quidni Herodoto, qui Choerili aequalis fuit, semel tantum recitationis Panathenaeis habendae credas factam esse potestatem?

Superest quaestio, quam potissimum operis sui partem Atheniensibus recitasse Noster putandus sit. Cunctos enim libros lectos ab eo esse, vix cuiquam probabitur, etiamsi totum opus iam tum absolutum fuisse quis crederet, quod Thuriis demum perfici potuisse, supra (p. 42.) monuimus. Neque eandem,

49) V. *Ionem* Platonicum princ.

quam Olympiae legerat partem, Athenis iterum recitasse, credibile est. Quam vero legerit, certo dicere non habeo; quamquam vel maxime consentaneum videtur, eâm potissimum hac occasione in lucem esse protractam, quae Graeciae et ante omnes Atheniensium fortiter et gloriose facta enarrabat: Persica dico bella. Quorum enarrationem si audivisse statueris Athenienses, facile intelliges, cur non satis sibi habuerint laudibus et plausu prosecutos esse auctorem, sed insuper praemio eum donaverint. Praemium enim retulisse Herodotum, neque per se improbabile est, neque magnum virum dedecet, modo ne corruptum, sed ornatum hoc pretio eum putes. Atque profecto venalis adulator et singulis illustribus Atheniensibus magis pepercisset, et in universorum praeclare factis tradendis minus quam facit Herodotus simplicem ac nudam veritatem, sed blandam potius auribus exaggerationem quaesivisset. — Ceterum num pro viribus suis tam splendida in Nostrum munificentia uti potuerint Athenienses, ut *decem talentis* eum remunerarentur, non ausim affirmare, quamquam ne haec quidem summa omnino modum excedere videtur, quum Persica praeda et sociorum tributis Atheniensium aerarium tunc temporis haud parum ditatum sit.

Atqui si Persica bella Athenis recitata esse nobis persuademus, hinc quoque apparet, ante hanc recitationem Graeciam ab Herodoto peragratam, easque historias, quae sine accurata terrarum et locorum cognitione haudquaquam ea, qua utitur Herodotus

diligentia enarrari poterant, tum demum litteris mandatas fuisse. Fortasse Athenis hoc fecit, ubi sine dubio aliquamdiu commoratus est.[50])

In illis autem itineribus, quae per Graeciam fecit Herodotus, haud dubie *Corinthum* quoque adiit; quod ut credamus, non requireremus *Dionis* testimonium, diserte hoc affirmantis. Qui tamen quum narrationem quandam de Herodoto Corinthum veniente adiiciat, eam paullo diligentius examinemus oportet. Alloquitur enim *Dio Chrysost.* (Orat. XXXVII. Corinthiaca. T. II. p. 103. ed. Reisk.) Corinthios hisce verbis: ἦκε δὲ καὶ Ἡρόδοτος ὁ λογοποιὸς, ὡς ὑμᾶς λόγους φέρων Ἑλληνικοὺς, ἄλλους τε καὶ Κορινθίους οὐδέπω ψευδεῖς, ἀνθ' ὧν ἠξίου παρὰ τῆς πόλεως μισθὸν ἄρνυσθαι. διαμαρτὼν δὲ [καὶ][51]) τούτου (οὐ γὰρ ἠξίουν οἱ ὑμέτεροι πρόγονοι δόξαν ἀγοράζειν)· μετεσκεύασεν ἐκεῖνα, ἃ πάντες ἐπιστάμεθα, τὰ περὶ Σαλαμῖνα, καὶ τὸν Ἀδείμαντον. Respicitur his Herodot. VIII. 94. cf. ibid. 5 et 59. Eandem rem, modo minus distincte innuit *Marcellinus* in vita Thucyd. §. 27. (p. 324. in Popponis Prolegg. Thucyd. vol. I.), scribendo: Ἡρόδοτος μὲν γὰρ ὑπεροφθεὶς ὑπὸ Κορινθίων, ἀποδρᾶναί φησιν αὐτοὺς τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν.

Venit igitur, si fides habenda Dioni, historicus noster Corinthum, historias suas Graecas in iisque etiam Corinthiorum res enarratas attulit, atque Corinthiis recitavit; quamquam Dio quidem nihil dicit,

50) Cf. Dahlmann. l. l. p. 56.

51) καὶ delendum videtur, ut recte censet Reiskius.

nisi λόγους φέρων. Sed eandem, quam Olympiae et Athenis iniit viam, qua scripta sua in publicum ederet, probabiliter etiam hic iniisse putatur, in quam sententiam VV. DD. plerique abiere.[52]) Pergit vero orator dicere: petivisse Herodotum pro historiis istis haudquaquam commenticiis praemium; id autem quum se daturos negassent, talem in modum refinxisse narrationem suam, ut dedecus inde ad Corinthios redundaret." — Gravissima profecto accusatio, quae si vera esset, omnem Herodoti fidem in suspicionem adduceret. Atque negari sane non potest, quin in Corinthiorum et Adimanti rebus laudandis non modo mire parcus fuerit (ut observat Wesseling. Praef. p. XXIII. ed. Schweigh. p. VII. ed. Gaisf.), sed omnino tam parum iis favisse videatur, ut nihil fere honorificum de iis praedicaverit. Inquirere autem in veritatem eorum, quae de Corinthiis tradit Herodotus, nec huius loci est, nec omnino interest multum, quum praesertim narrationem istam de Corinthiis e pugna Salaminia se proripientibus ipse auctor (VIII. 94 fin.) tamquam merum Atheniensium rumorem proferat, diserte addens, ipsos Corinthios prorsus contraria hac de re praedicare, iisque reliquam Graeciam suffragari, cuius testimonio et nos omnino fidem habere debemus. Ad illam vero criminationem quod attinet, ea et Wesselingio (l. l.) a serioris aevi hominibus profecta videtur et a *Larchero* (l. l. p. LXXXIII sqq.) pluribus iisque haud invali-

52) V. Larcher. l. l. p. LXXXII. Dav. Schulz. l. l. p. 11.

dis rationibus diluitur, quas tamen hic repetere taedet. Hoc unum animadvertisse sufficiat, quod nec Plutarchus, qui acerbus et malignus Herodoti insectator et ipse gravissimae in Corinthios iniquitatis eum insimulat (de Herod. malign. cap. 39.), ullo verbo illam Dionis narrationem tangit, quam profecto, nisi ignorasset, non praetermisisset. Neque difficile est intellectu, quo consilio quave ratione confictae sint eiusmodi criminationes. Quum enim, ut supra (p. 44 sqq.) observavimus, apud plerosque Graecos summis laudibus floreret Herodotus, assidueque legeretur, fieri non potuit, quin eae civitates, de quibus minus honorifica, aut prorsus dedecora qualiacunque memoriae prodiderat, iniquo animo id ferentes, amovere illa crimina a sese studuerint, fidem scriptoris suspectam reddendo, adeoque crimen in ipsum reiiciendo. Iam vero ab Atheniensibus pretio donatum esse Herodotum fama pervulgatum fuit; neque nos hoc factum in dubitationem vocavimus. Insectatores autem illi Herodoti non honoratum, sed corruptum hoc dono scriptorem Atheniensium rebus studuisse ferebant, suis contra vindictae cupidine adductum obtrectasse, quippe qui, quum sperasset fore, ut pariter ab ipsis donaretur, ea spe falsus fuisset, quia scilicet indignum sibi visum fuerit, „δόξαν ἀγοράζειν." — Quod si probatum tibi fuerit — maxime enim esse probabile confido —, non solum criminatio illa Herodoto oblata commenticia videatur, sed et ipsa recitatio illa Corinthi habita suspecta fiat necesse

est. Cui ego quidem nihil fidei adiungendum esse mihi persuadeo.

Succurrit mihi locus quidam *Plutarchi*, hic non omittendus, quum haud parum faciat ad sententiam meam comprobandam, simillimusque sit Dionis loco modo citato. Scribit enim acerrimus ille Herodoti adversarius *de Herod. malign.* cap. 31.: Ἀριστοφάνους δὲ τοῦ Βοιωτοῦ γράψαντος, ὅτι χρήματα μὲν αἰτήσας (Ἡρόδοτος sc.) οὐκ ἔλαβε παρὰ Θηβαίων[53]), ἐπιχειρῶν δὲ τοῖς νέοις διαλέγεσθαι καὶ συσχολάζειν, ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἐκωλύθη δι' ἀγροικίας αὐτῶν καὶ μισολογίας, ἄλλο μὲν οὐδέν ἐστι τεκμήριον. ὁ δὲ Ἡρόδοτος τῷ Ἀριστοφάνει μεμαρτύρηκε, δι' ὧν τὰ μὲν ψευδῶς, τὰ δὲ διὰ*[54]) τὰ δὲ ὡς μισῶν καὶ διαφερόμενος τοῖς Θηβαίοις ἐγκέκληκε κ. τ. λ. — *Aristophanis* illius *Boeoti*, quem testem h. l. facit Plutarchus, secundum Θηβαϊκῶν librum allegat Suidas i. v. Ὁμολωΐος, Θηβαίους ὄρους Stephan. Byz. i. v. Ἀντικονδυλεῖς, librum secundum Βοιωτικῶν idem i. v. Χαιρωνεία.[55]) Quodsi spectamus, quae ex isto suo auctore referat Plutarchus, ea paullo obscuriora invenimus. Nummos, ait, a Thebanis frustra petiit Herodotus; quo nomine, quodve ob officium non dicit. Magis etiam mirum est, quod deinceps addit: cupientem Herodotum cum

53) Sic editores correxerunt vulgatam Ἀθηναίων, quam emendationem plane necessariam esse, sequentia docebunt.

54) Variis modis hanc lacunam explere tentaverunt viri docti. Wyttenbach. coniicit δι' ἀδικίαν. Alii: διὰ κολακείαν, vel δι' ἔχθραν, δι' ἄγνοιαν. Certi nihil habeo.

55) V. Fabric. Bibl. Gr. Lib. II. cap. 21. pag. 671.

pueris disserere et scholam instituere a magistratibus prohibitum fuisse ob eorum rusticitatem et litterarum odium. Quibus additis tota haec narratio quam maxime suspecta fieri debet. Quis enim in animum sibi inducat, Herodotum puerorum institutioni vacasse, qui longe alio studio et consilio in itineribus suis deditus fuit, vixque in eiusmodi occupatione tempus suum contrivisse putari potest. — Verum utut est, haud dubie Aristophanes ille quod refert factum Boeotis crimini dederat, quorum etiam apud Plutarchum, gravissimum popularium suorum defensorem, ἀγροικίαν et μισολογίαν aperte tangit. Plutarchus contra eandem rem in Herodoti criminationem convertit addendo: aliud quidem nullum eius rei documentum exstare, sed Herodotum ipsum testimonio esse Aristophani, eo quod in historiis suis infestus sit Thebanis, eosque calumnietur. Habes iam perspicuum sane exemplum, quemadmodum narrationes de Herodoto aut omnino commenticiae, aut aliter certe et in bonam partem accipiendae, sedulo ab eius inimicis aut excogitatae aut arreptae sint, ansamque iis praebuerint ad accusandum Herodotum, seseque ipsos purgandos.

Sed a digressione illa iam in viam nos reflectentes ad propositum nostrum redeamus. Vidimus ergo, quamquam singula per singulos annos persequi non licuit, in quibus potissimum negotiis per illud duodecim annorum spatium versatus sit Herodotus. Itinera fecit et in Aegypto et per varias Graeciae reli quaeque Europae terras ac civitates, quas visitatas

ab eo fuisse opus suum evincit (v. infra cap. V.). Quorum utrum, in Africa an in Europa factum, prius instituerit, dicere non habeo. Praeter has peregrinationes vel etiam inter viam conscribere historias pergebat, atque tum demum Persicorum bellorum enarrationem litteris mandabat. Denique imprimis Athenis aliquamdiu commoratus est, ibique palam partem aliquam historiarum nuper consignatam praelegit: Haec omnia pro satis compertis habenda sunt; cetera coniecturis plus minusve probabilibus innituntur. Dionis et Plutarchi narrationes de Corinthiis et Thebanis aut fabulas, aut fabulose adulteratas esse censemus.

IV.

De colonia Thurios deducta. Ibi in historiis consignandis pergit Herodotus. Quando et ubi mortuus et sepultus sit.

Dum Athenis versabatur Herodotus paulloque post recitationem ibi habitam, Athenienses in Italiam colonos delegarunt, qui Thurium (s. Thurios) conderent. Id vero hac occasione evenit. Miserant Sybaritae, a Crotoniatis e patria exacti, legatos in Graeciam, qui peterent a Spartanis et Atheniensibus, ut et reditus adiutores, et coloniae participes esse velint; urbs enim Sybaris ad solitudinem fere erat redacta. Quorum postulationem Lacedaemonii quidem non admittunt, Athenienses autem, praeconibus per Graeciam missis, liberam volentibus copiam novae coloniae se aggregandi facientes, decem navium classem, ducibus *Lampone* et *Xenocrate*, Sybaritis auxilio mittunt. Qui postquam Sybarim appulerant, locum habitationi ex Apollinis oraculo prope fontem inveniunt, cui nomen erat *Thuriae*, ibique oppidum statuunt. Deinde seditione coorta inter novos colonos et veteres loci possessores, Sybaritas, hi prope omnes ad internecionem deleti sunt. — Haec, modo fusius, tradit *Diodor.* Sic. lib. XII. cap. 10, 11., quocum cf. *Strabo* lib. VI. cap. 1. *Lamponem*, Thuriorum conditorem, collega Xenocrate non addito, etiam *Plutarchus* (Reipubl. ger. praec. cap. 15. sub

fin.) commemorat, eumque a Pericle ad hoc negotium adhibitum fuisse refert. Eundem *Schol. Aristoph.* (Nub. v. 331.) vatem dicit, sed a republica gerenda non alienum. — Posteriori tempore (Olymp. 97, 3. a. Chr. 389.) cladem gravissimam a Lucanis accepit florens tum maxime Thuriorum civitas (v. Diodor. Sic. XIV. 102.) atque deinceps, novis Romanorum colonis additis, *Copiae* nominabatur. V. Strabon. et Schol. Aristoph. ll. ll.

Ceterum deductam esse hanc coloniam Archonte Athenis *Callimacho*, quo anno Pericles in Euboeam invadens insulae incolas ad recipiendum Atheniensium imperium adegit, quoque in Sicilia inter Syracusanos et Agrigentinos bellum conflatum erat, auctor est idem *Diodorus* (lib. XII. c. 7 sqq.). Est hic Olymp. 83. a. 3. a. Chr. 446. Qua in re Diodorum sequitur ἱστοριῶν συναγωγὴ Chronico Eusebii Scaligerani subiecta p. 320; item Scaliger ad Euseb. Chron. p. 104, Ger. Voss. de histor. gr. lib. I. c. 3. p. 14, Fabricius in Bibl. Gr. II. 20. p. 662. — *Dionysius* autem *Halicarn.* (in Lysia cap. 1. init.) aliquot demum post annis, „δωδεκάτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου", factum hoc esse perhibet; quocum facit *Pseudo-Plutarchus* in *decem Oratorum vitis* (III. Lys.), *Praxitelem* archontem ei anno tribuens. Larcherus (l. l. p. LXXXVI.) et recentiores fere omnes, Dionysium secuti, coloniam illam Thuriensem Olymp. 84. a. 1. a. Chr. 444. assignant. Mihi de anno hoc definiendo, veteribus dissentientibus, nondum constat, quamquam magis quidem et

ipsi

ipsi hicce annus probatur, quo post pacem antecedente anno (Ol. 83, 4.) cum Spartanis initam, quiete ac respirandi intervallo Athenienses fruebantur, ita ut videlicet magis consentaneum sit, tunc de colonia deducenda eos cogitasse, quam Olymp. 83. a. 3, quo Megara simul et Euboea seditionem moventes operae affatim Periclí obtulerunt.

Lysiam, celeberrimum posthac evasurum oratorem, quindecim tunc annos natum, socium eius coloniae fuisse tradunt Dionys. Halic. (l. l.) et Pseudo-Plutarchus (l. l.), in eo tantum dissidentes, quod prior duos fratres comites Lysiae adiungit, posterior unum tantum natu maximum, Polemarchum, quum duo praeterea ei fuerint, Eudidus et Brachyllus, patre iam mortuo.

Herodotum quoque, quem quidem Thurios discessisse minime dubium est, VV. DD. omnes, quos vidi, primis istis colonis comitem addunt quadragenarium.[56]) Atque sane diserte hoc affirmat *Strabo*, qui scribit loco supra (p. 8.) adducto Herodotum κοινωνῆσαι τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας. Idemque *Plutarchus* significare videtur (de exilio cap. 13.), ubi scribit de Herodoto: μετῴκησε γὰρ εἰς Θουρίους καὶ τῆς ἀποικίας ἐκείνης μετέσχε. *Suidas* tamen (i. v. Ἡρόδοτος v. supra nota 12.) nihil nisi: εἰς τὸ Θούριον, ἀποικιζόμενον ὑπὸ Ἀθηναίων, ἐθελοντὴς ἦλθε.

56) V. *Wesseling*. Praefat. p. VII. ed. Gaisf. *Larcher*. l. l. p. LXXXVI. Dav. *Schulz*. l. l. p. 11. *Dahlmann*. l. l. p. 40. cf. p. 48.

similitérque epitaphium Herodoti (v. supra n. 14.): Θούριον ἔσχε πάτρην. — Verum quod imprimis dubitare me faciat, in ipsorum statim conditorum numero fuisse Herodotum, exstat apud *Plutarchum* (An seni ger. respubl. cap. 3.) epigrammatis Sophocli adscripti fragmentum. Quem quidem Plutarchi locum suspectum mihi esse ac glossatoris sapere additamentum, non diffiteor. Inducit enim Plutarchus, poëtarum adhuc sub limine leti vigentium exempla recensens, Simonidem octogenarium choris docendis victorem; tum Sophoclem senem delirii (παραυοίας) crimen a propriis filiis sibi illatum recitato coram iudicibus praeclaro illo ex Oedipode Coloneo hymno propulsantem.[57]) Deinde haecce adduntur: τοῦτὶ δὲ ὁμολογουμένως Σοφοκλέους ἐστὶ τὸ ἐπιγραμμάτιον·

Ὠιδὴν Ἡροδότῳ τεῦξε Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν
Πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα.

Iam vero Sophocles ad nonagesimum[58]) usque annum vitam produxit, idemque, ut Ciceronis (l. l.) utar verbis, „ad summam senectutem tragoedias fecit"; atque tritissima illa filiorum accusatio in extremam eius aetatem defertur. Quid igitur mirum, si talis homo, qui aetate multo provectiori integras composuit tragoedias, quinquaginta quinque annos natus

57) V. *Ciceron.* de Senect. cap. 7.; vitam Sophoclis editionibus praefixam; *Valer. Max.* VIII. 7, 12. *Appuleii* Apol. p. 298. *Lucian.* Macrob. c. 24. Cf. Clariss. *Boeckhii* commeutationem in Indice Lection. Universit. Berol. 1825 — 26.

58) Quinque supra nonagesimum annum vixisse eum, auctor est Lucianus l. l.

carmen nescio quod scripsit? Inepta profecto eius rei mentio isti loco infertur. — Utut vero est, epigramma exstat, vixque dubitari potest, quin noster Herodotus, nec alius quispiam, intelligendus sit. Sophocles autem, natus Olymp. 71. a. 2. a. Chr. 495[59]), ut adeo undecim annis maior fuerit Herodoto, quinquagesimum quintum aetatis annum egit Olymp. 85. a. 1. a. Chr. 440. Quodsi id aetatis carmen Herodoto composuit, utrumque tunc eodem in loco habitasse verisimile est, aut Athenis, aut Sami, ubi circa id ipsum tempus una cum Pericle classis dux fertur fuisse Sophocles. Samum vero revertisse Herodotus, ex quo primum inde in Graeciam proprie dictam transierat (Olymp. 81.), non videtur (cf. p. 50.), quem contra Athenis diutius commoratum esse, aliquoties iam monuimus. Ubi fieri vix potuit, quin praeclaro illi poëtae, qui eo ipso tempore quam maxime florebat, in notitiam atque adeo familiaritatem venerit.[60]) Quidni igitur, occasione nescio qua oblata,

59) V. auctorem vitae Sophoclis anonymum. Cf. *Lessing: Leben des Sophokles* (*Sämmtl. Schriften. Theil XIV.* (a. 1793.) p. 284 sqq.)

60) Commercii inter utrumque intercedentis vestigia in nonnullis quoque sententiis, quae communes utrique sunt, inveniri haud perperam credideris. Sic quae Sophocles inducit Antigonam loquentem vers. 900 sqq. ex iis quae apud Herodotum III. 119. loquitur Intaphernis uxor deprompta possunt videri, quibus plane respondent. Cf. Wesseling. Dissert. Herod. p. 175 sq. Aegre enim Herodotum e Sophocle hausisse tibi persuaseris, quae tanquam historicae personae dictum ille refert; quamquam Clemens Alexandr. Strom. VI. init. p. 625. D. ed. Sylb. furti

carmine quopiam a Sophocle donatus fuerit Herodotus?[61]) — Sin autem hic, uti vulgo fertur, statim cum primis colonis Thurios profectus est a. Chr. 444. (ut Dionysium sequamur), itaque quatuor ante annis, quam Sophocles carmen illud fecit, Thuriis demum id accepit, quod, etsi fieri quidem potuit, tamen minus est verisimile. Unde mihi omnino suspicio oboritur, aliquot demum annis post novam coloniam conditam eo se recepisse Herodotum. Certe non tanti faciendam existimo in hac quidem re Strabonis et Plutarchi auctoritatem, ut eorum testimoniis, parum fortasse accurate expressis, contrarium plane evictum esse mihi persuadeam.

At mittamus de anno profectionis quaestionem, quae vereor ut ad finem perduci possit. Concessisse Thurios Herodotum, dubium esse nequit. Qua vero caussa impulsus consilium ceperit Graeciae relinquendae, utrum peregrinandi amore exterarumque regionum visendarum desiderio adductus, an inimicorum, quos etiam Athenis ei fuisse supra (p. 46 sq.) concessimus, insectationem vitaturus, certo dicere non

istius Herodotum arguit. — Similiter quae apud Sophoclem leguntur in Oedip. Col. v. 338 sqq. ed. Herm. (327. ed. Reisig) ex Herodoti lib. II. 35. videntur fluxisse; ut taceam, versuum extremorum Oedip. Tyr. sententiam stricte congruere cum Herod. I. 32.

61) Fecisse Sophoclem praeter tragoedias alia quoque carmina, elegiam, paeanes, immo etiam opus de choro prosa oratione scripsisse, testatur Suidas i. v. Σοφοκλῆς. Cf. Lessing. l. l. p. 411 sqq.

habeo. Utraque forsitan caussa simul pariterque eum commovebat. Nam Suidas (i. v. Ἡρόδοτος) si dicit, ob civium, i. e. Halicarnassensium, invidiam Thurios confugisse Herodotum, certe non audiendus est, quum quaecunque inter relictam patriam conditamque coloniam Thuriensem intercedere vidimus, plane omittat.[62])

Ceterum *Thucydides* quoque — ut obiter etiam hoc annotem — ab anonymo quodam vitae eius scriptore Sybarim concessisse dicitur[63]), quod tamen, quum nulla praeterea hac de re testimonia exstent, e permutatione cum Herodoto explicandum videtur, nec ulla fide dignum est. Neque magis Timaeo[64]) fides habenda, ubi et ipse Thucydidem patria fugere coactum in Italiam putat abiisse; id quod similiter ex Herodoti historia in Thucydidem retractum videtur.[65])

De reliquis Herodoti fatis, ex quo Thurios discesserat, nihil fere compertum habemus. *Suidas* enim nihil, nisi ibidem mortuum atque sepultum esse Herodotum dicit. — Postremum factum, cuius mentio fit in Herodoti libris (I. 130.), Medorum scilicet

62) Nihilominus eum temere sequitur Fabric. in bibl. Gr. II. 20. p. 661 sq. scribens, Thurinum Nostrum dictum esse „quia propter patriam a Lygdamo tyranno vexatam in Thurios cum aliis profectus fuerit."

63) V. Incerti scriptoris vitam Thucyd. §. 7. in Poppon. Prolegg. Thucyd. Vol. I. p. 341.

64) Apud Marcellin. in vita Thucyd. §. 25. (p. 323. Popp.)

65) Cf. Poppo: Prolegg. ad Thucyd. Vol. I. p. 26. 27.

rebellionem a Dario Notho compressam, incidere in Olymp. 93. a. 1. a. Chr. 408. supra (p. 42.) observavimus. Accedit huc, quod libr. III. cap. 15. Pausiris, Aegypti rex, memoratur, cuius patrem Amyrtaeum eodem demum anno obiisse, auctor est *Eusebius* in Chron. p. 172, licet opinionem hanc impugnet *Wesseling.* ad Herodot. l. l. [66]). Quorum commemorationem si re vera ab ipso Herodoto profectam esse existimamus (neque de hoc causa ulla est cur dubitemus), duxisse Herodotus vitam ad octogesimum propemodum annum putandus est. Quodsi quadragesimum annum non multum sane excessit tum quum Thurios transiit, ab hoc inde tempore usque ad obitum Herodoti facile alii quadraginta anni effluxere; atque de his altum silentium. Domicilium quidem sine dubio ea in urbe collocavit, unde *Thurini* cognomen ei partum invenimus, quo haud rarius, quam altero e vera patria petito a veteribus insigniri solebat. Inspicias *Strabonem* XIV. 2. (quem locum supra p. 8. adduximus), ubi sunt verba: Ἡρόδοτος — ὃν ὕστερον Θούριον ἐκάλεσαν κ. τ. λ. Cuius denominationis exempla praebent: *Iulianus Apost.* epist. 22 init., ubi scribit: ὁ λογοποιὸς ὁ Θούριος ὥτα εἶπεν ἀνθρώποις ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα. Idem apud Suid. i. v. Ἡρόδοτος (v. supra n. 12.): εἴ τῳ πιστὸς ὁ Θούριος εἶναι λογοποιὸς δοκεῖ. *Duris* Samius apud eundem Suidam v. Πανύασις (v. supra n. 16.), si nostram sequeris emendationem (p. 16.); *Avienus* in descript.

66) Cf. *Dahlmann.* l. l. p. 45 sq.

orae marit. v. 49.: „Herodotus ipse *Thurius*." — Atque adeo fuisse, qui oriundum Thuriis Herodotum opinarentur, e *Plutarchi* (de malign. Herod. cap. 35 init.) verbis colligas dicentis Herodotum Θούριον μὲν ὑπὸ τῶν ἄλλων νομιζόμενον, αὐτὸν δὲ Ἁλικαρνασσέων περιεχόμενον· nisi forte ibi pro νομιζόμενον legendum: ὀνομαζόμενον, quamquam hoc minus loci sententiae conveniret. Idem *Plutarchus* (de exilio cap. 13. sub fin.) multos fuisse docet, qui in ipso operis Herodotei exordio Thurinum pro Halicarnasseo auctorem scripserint (τὸ δὲ „Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἀπόδειξις (sic Plutarch. pro Ionico ἀπόδεξις) ἥδε" πολλοὶ μεταγράφουσιν, „Ἡροδότου Θουρίου" κ. τ. λ.) Atque sic *Aristotelem* in suo Musarum exemplo legisse deprehendimus, qui in Rhetoricor. lib. III. cap. 9. (p. 337. ed. Casaub.) pro vetustae illius, quam εἰρομένην (fusam) vocat, elocutionis specimine, prima Herodoti verba hocce modo citat: „Ἡροδότου Θουρίου ἧδ' ἱστορίης ἀπόδεξις." Unde haud perperam coniicias, circa postremam Herodoti aetatem proximeque post eius obitum cognomen illud vulgatius altero fuisse ab ipsa patria petito.

Degebat igitur Herodotus Thuriis, unde alioquin haud facile cognomen ei additum foret. Sed desidem eum ibi cessasse nemo facile sibi persuadebit. Dubium non est, quin augendis, expoliendis, ordinandis historiis suis operam quam maximam ibi tribuerit. Confirmatur haec opinio loco quodam *Plinii* (Hist. Nat. Lib. XII. cap. 4. s. 8.), quem paullo pleniorem hic enotare nobis liceat. De ebeno ar-

bore loquens sic scribit auctor: „Herodotus eam Aethiopiae intelligi maluit, in tributi vicem regibus Persidis e materie eius centenas[67]) phalangas tertio quoque anno pensitasse Aethiopas cum auro et ebore prodendo. Non omittendum id quoque, vicenos dentes elephantorum grandes, quoniam ita significat, Aethiopas eadem caussa pendere solitos. Tanta ebori auctoritas erat *urbis nostrae trecentesimo decimo anno; tunc enim auctor ille historiam eam condidit Thuriis in Italia.* Quo magis mirum est, quod eidem credimus, qui *Padum* amnem vidisset, neminem ad id tempus Asiae Graeciaeque aut sibi cognitum."[68]) — Annus urbis cond. 310 est Olymp. 84. a. 1. a. Chr. 444, quo eodem e plurimorum sententia conditos demum Thurios fuisse vidimus p. 64. Eo igitur vixdum in negotio illo „condendae historiae" occupatus esse potuit Herodotus, etiamsi primis conditoribus eum adiungimus. Apparet, minus accuratum in tempore illo definiendo Plinium satis

67) Apud Herodotum III. 97. scriptum est: ἀγινέουσι — διηκοσίους φάλαγγας ἐβένου. Corrigendum igitur: *ducentenas* phalangas.

68) *Padum* nusquam nominat Herodotus. Respicit Plinius quae ait Herodot. III. 115. de *Eridano*: „— οὐδενὸς αὐτόπτεω γενομένου οὐ δύναμαι ἀκοῆσαι τοῦτο μελεσῶν, ὅκως θάλασσά ἐστι τὰ ἐκέκεινα τῆς Εὐρώπης κ. τ. λ. Fabulosum enim illum fluvium, quem Eridanum vocant prisci scriptores, recentiores pro eodem cum Pado habuere (ut aperte facit idem Plin. III. 16. XXXVII. 2. cf. Virgil. Georg. I. 482. ibique I. H. Vossii notam), quamquam Herodoti Eridanus a Pado est longe diversus, multoque versus septentrionem remotior.

habuisse, annum eum notare, quo coloniam Thurios deductam esse acceperat. Frustra igitur illo loco pro argumento utaris, quo infirmes coniecturam nostram, aliquot demum annis post prima novae urbis fundamenta iacta Herodotum eodem devenisse. — Vocis *condere* quoniam apud Plinium satis frequens est is usus, ut valeat nihil amplius, quam *scribere, componere*[69]), non necessario ita intelligendus est auctor, quasi dicat, prima scribendi initia Thuriis facta esse ab Herodoto. Quae videtur fuisse sententia Ger. *Vossii* (de hist. graec. p. 14.) et *Wesselingii* (Praef. ad Herod. p. XXIV. ed. Schweigh. p. VII. ed. Gaisf.), qui refelli putant Plinium praelectionibus illis haud paucis ante annis in Graecia habitis. Maximas certe historiarum partes litteris iam tum mandatas in Italiam secum attulit. Sed erant eae partes adhuc dissolutae, quas tunc demum multis additionibus auctas, accurateque elimatas, in unum corpus redegit, ut adeo vere dicatur, Thuriis historiam condidisse sive composuisse.[70]) Atque ex

69) V. H. N. V. 29. (s. 31.): „Nec fraudanda (Miletus) cive Cadmo, qui primus prosam orationem *condere* instituit"; VII. 56. (s. 57.): „Prosam orationem *condere* Pherecydes Syrius instituit, Cyri regis aetate, historiam Cadmus Milesius"; XXVI. 2. „Hippocrates primus medendi praecepta clarissime *condidit*." Quibus in locis cave incipiendi sive instituendi notionem inesse illi verbo putes, quae additis „*primus, instituit*" insuper expressa est. *Condere* simpliciter valet *scribere, componere*, ut manifestius etiam elucet ex eiusdem Plinii l. XIII. c. 13.: „Si etiamnum, *Homero condente*, Aegyptus non erat" etc.

70) Cf. Larcher. l. l. p. LXXXVIII.

ea urbe totum Herodoti opus primum per libros manu scriptos editum ac vulgatum fuisse crediderim, id quod post auctoris demum obitum accidisse, rationibus ex ipsius operis conditione petitis alio loco ostendemus. — Ceterum, ut hoc obiter observem, in Plinii verbis vocula *eam*, quae post *historiam* legitur, abundare mihi videtur, quae quid sibi velit, parum video. *Historiam* enim vocare vix potuit, quae modo ex Herodoto attulerat; neque si ea sola respexisset, verbo *condere* apte usus esset, quod fere de universo opere, non de singulis locis usurpatur. Quae autem alia vis insit adiecto illi pronomini, non assequor; quo circa aut eiiciendum, aut *suam* substituendum arbitror.

Praeter illud Plinii testimonium haud pauci in ipso Herodoto loci testantur, in rebus consignandis Thuriis eum occupatum fuisse, quippe quibus locis continetur eventuum commemoratio, qui diu post coloniam illam deductam demum contigerunt. Horum locorum iam plenam faciam enumerationem:

VII. 233 fin. memoratur Thebanorum in Plataeenses invasio ducisque eorum Eurymachi caedes, quae res acciderunt principio belli Peloponnesiaci[71]): Olymp. 87, 1. a. Chr. 431.

---

71) Huius rei mentionem fieri ab Herodoto, iam viderat *Marcellinus* (sive auctor postremae partis vitae Thucyd., quam Marcellino adscribunt) §. 54. pag. 335. Poppo, ubi scriptum est: φαίνεται δὲ ἐπὶ τῶν Ἡροδότου χρόνων γενόμενος (Θουκυδίδης sc.), εἴγε ὁ μὲν Ἡρόδοτος μέμνηται τῆς Θηβαίων ἐς βολῆς ἐς τὴν Πλάταιαν, περὶ ἧς ἱστορεῖ Θουκυδίδης ἐν τῇ

VII. 137. Item bello Peloponnesiaco, „κατὰ τὸν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων πόλεμον", ut ipse habet Herodotus, legati, quos in Asiam miserant Lacedaemonii, ab Atheniensibus excepti atque necati sunt. Contigit hoc, teste Thucydide II. 67, secundo eius belli anno: Olymp. 87, 2. a. Chr. 430.[72])

VII. 114. *Amestris*, regis Xerxis uxor, iam senescens quatuordecim illustrium Persarum liberos defodisse narratur, quo gratiam pro se Deo infero referret. Factum hoc est probabiliter belli Peloponnesiaci tempore; nam si *Ctesiae* (Persic. cap. 43. p. 75. ed. Baehr.) credendum, non multo ante Artaxerxis Longimani mortem (quae incidit in Olymp. 88. a. 4. a. Chr. 425.) obiit Amestris.[73])

III. 160. *Zopyri*, filii Megabyzi, Persae fuga ad Athenienses commemoratur, quem *Ctesias* (Persic. cap. 43. p. 74. ed. Baehr.) non multo ante Artaxerxis obitum ad Athenienses defecisse refert; ergo circiter Olymp. 88. a. 4. a. Chr. 425.[74])

VI. 98. — „ἐπὶ γὰρ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος καὶ Ξέρξεω τοῦ Δαρείου, καὶ Ἀρταξέρξεω τοῦ Ξέρξεω, τριῶν ἐπεξῆς γενεέων, ἐγένετο πλέω κακὰ τῇ Ἑλλάδι ἢ ἐπὶ εἴκοσι ἄλλας γενεὰς τὰς πρὸ Δαρείου γενομένας· τὰ μὲν

δευτέρα. Cf. Wesseling. Praef. p. XXIV. ed. Schweigh. p. VII. ed. Gaisf. — Larcher. l. l. p. LXXXIX. falso ad hanc rem citat Herodot. IX. 72., ubi nihil de ea reperitur.

72) Cf. Wesseling. l. l.

73) Cf. Dahlmann. l. l. p. 41.

74) Cf. Wesseling. l. l.

ἀπὸ τῶν Περσέων αὐτῇ γενόμενα, τὰ δὲ ἀπ' αὐτέων τῶν κορυφαίων περὶ τῆς ἀρχῆς πολεμεόντων." Posterioria haec verba aperte bellum spectant Peloponnesiacum, neque ineunte eo bello, sed iam per aliquot certe annos grassante scribi potuerunt. Quin post Artaxerxis obitum scripta demum esse videntur, i. e. post Olymp. 88, 4. a. Chr. 425.[75])

IX. 73. *Decelenses* antiquitus Helenam a Theseo raptam Tyndaridis tradidisse feruntur; ob quod meritum non modo honoribus et immunitate a Lacedaemoniis affecti sunt, sed adeo bello Peloponnesiaco („ἐς τὸν πόλεμον τὸν ὕστερον πολλοῖσι ἔτεσι τούτων γενόμενον. Ἀθηναίοισι καὶ Πελοποννησίοισι") quum ceteram Atticam popularentur, a Decelea temperaverunt Lacedaemonii. Referendum hoc videtur, probante Dahlmanno (p. 43 sqq.), ad regis Agidis invasionem in Atticam, qui, cetera terra devastata, Deceleae consedit, eumque locum communivit Olymp. 91, 3. a. Chr. 413.

III. 15. *Pausiris*, rex Aegypti, memoratur, filius Amyrtaei, qui mortuus est Olymp. 93, 1. a. Chr. 408.[76])

I. 130. *Medi* a Dario Notho defecerunt, sed proelio victi iterum subacti sunt Olymp. 93, 1. a. Chr. 408.[77])

---

75) Cf. Dahlmann. p. 42.

76) Cf. supra p. 70. Dahlmann. p. 45 sqq.

77) V. Xenoph. Hellen. I. 2. fin. Dodwell. Annal. Xenoph. p. 38. Larcher. l. l. p. LXXXIX. Dahlmann. p. 47. Cf. supra p. 42 et 70.

Habes iam satis magnum rerum seriori aevo gestarum numerum, non unum alterumve factum, quod ab Herodoto alienum eique suppositum suspicari possis, quae suspicio in illam seriem cadere nullo pacto potest. Accedunt vero ad illos locos, quos Thuriis demum esse consignatos temporum ratio evincit, nonnulli alii, quos ibidem atque illius terrae incolarum respectu habito scriptos esse, aliae caussae manifesto docent. In quem numerum hice potissimum referendi sunt:

III. 131—138. Narrationem de *Democedis*, medici Crotoniatae, fatis, atque imprimis quae continentur cap. 137 et 138. vix alibi, quam in Magna Graecia, fortasse in ipsa hominis patria *Crotone*, comperisse potuit.[78])

IV. 15. De statua *Aristeae*, quae *Metaponti* in foro stabat exstructa („καὶ νῦν ἕστηκε"), ita loquitur, ut ab ipso eam spectatam fuisse appareat, atque cum ipsis Metapontinis de Aristea illo sermonem se contulisse non obscure significat.[79])

IV. 99. Tauricae Chersonesi formam primum cum Atticae promontorio Sunio, tum „eorum gratia, qui forte hanc Atticae partem non praetervecti sint", cum *Iapygiae* peninsula comparat, quod aperte fecit Italos lectores respiciens.[80])

78) Cf. Dahlmann. p. 30 sq.

79) Cf. Dahlmann. p. 50.

80) Cf. Creuzer: *hist. Kunst.* p. 96. n. 108. Dahlmann. p. 50.

V. 44 sq. Diversas Sybaritarum et Crotoniatarum de *Sybaris* eversione narrationes tali modo refert, ut dubitari nequeat, quin utriusque gentis et relationes ipse audierit, et terras viderit.[81])

His locis non modo id quod professi sumus, sed etiam hoc alterum probari facile vides: non continuo mansisse Thuriis scriptorem nostrum, sed inde profectum aliqua certe ex parte Italiam peragrasse, qua in peregrinatione quatenus processisse putandus sit, infra (cap. V. 3.) indagandum nobis erit.

Nunc reliquum nihil est, nisi ut de eius *morte* paucis disseramus. Quae in quem annum inciderit, veterum nemo diserte nobis tradidit. *Dionysius Halicarn.* (in Iudicio de Thucyd. cap. 5. v. supra not. 2.) παρεκτεῖναι μέχρι τῶν Πελοποννησιακῶν eum dicit; quod ne de illius belli primis annis intelligas, ipse Herodotus locis, quos modo enumeravimus (imprimis VI. 98. IX. 73. III. 15. 1. 130.) prohibet.[82]) E quibus contra patescit, ultra Olymp. 93. a. 1. a. Chr. 408., quo tempore septuagesimum septimum aetatis annum attigit, vixisse Herodotum, quippe qui seditionis illius,

81) Cf. Dahlmann. p. 51 sq. — Quem postremum idem V. D. (p. 52.) locum affert VI. 127. vix quicquam ad nostram quaestionem facere arbitror.

82) Graviter igitur falsus est vir doctissimus *Baehr*, qui in nupera *Ctesiae* Fragmentorum editione p. 13. „Herodotum usque ad belli Peloponn. initium, i. e. usque ad 431 a. Chr. vitam duxisse", teste Dionysio accito, contendit. Eundem in errorem eadem Dionysii verba olim induxerant *Ioseph. Scaligerum* in Animadverss. in Euseb. Chron. p. 104. et *Fabricium* in Bibl. Gr. II. 20. p. 662.

quam eo anno Medi moverunt, mentionem faciat, cuius rei famam continuo in Italiam perlatam esse, haud facile credas. Belli Peloponnesiaci exitum (Olymp. 94. a. 1. a. Chr. 404.) viderit, necne, ignoramus. Omnino ad octogesimum fere aetatis annum vitam produxisse videtur.

Ubi terrarum diem supremum obierit, pariter ambigitur. Suidas i. v. Ἡρόδοτος (v. supra n. 12.) Thuriis mortuum et sepultum in foro eum refert („κἀκεῖ τελευτήσας ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς τέθαπται"), eique suffragatur epitaphium e *Stephano* Byz. supra (n. 14.) enotatum. Atque duplici huic testimonio fidem derogare eo minus possumus, quo verisimilius est, ea in urbe obiisse Herodotum, quam pro altera eius patria haberi vidimus. Quod fieri vix potuit, nisi per longam annorum seriem ibi habitasset. Senem autem aetate iam provectiorem longinquorum itinerum molestiam, ne dicam aerumnam ac pericula, rursus subiisse, aegre tibi persuaseris. Itaque fide digni non videntur, qui *Pellae* in Macedonia mortuum ferebant, teste eodem Suida i. v. Ἡρόδοτος („τινὲς δὲ ἐν Πέλλῃ αὐτὸν τελευτῆσαί φασιν"). Cuius opinionis non habeo dicere quae fuerit origo.

Exstabat etiam alia fama, qua *Athenis* historicus noster sepultus ferebatur. Cuius meminit *Marcellinus* in vita Thucyd. §. 18. (p. 318. ed. Poppo.): πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι[83]) πύλαις καλουμέναις ἐστὶν ἐν

83) Certissimam hanc emendationem vulgatae lectionis Μελιᾳΐσι recipere non dubitavi.

Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα, ἔνθα δείκνυται Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου τάφος· εὑρίσκεται δηλονότι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντως[84])· ξένος γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ θάπτεται.[85]) Haec verba repugnantia laborant, nisi etiam Herodotum Cimonis familiae accenseri ab auctore statuamus. Nam Thucydidi quidem suo iure locus ibi concessus est, quippe quem paternum genus ad Cimonem, Miltiadis filium, retulisse etiam aliunde constat.[86]) Quo vero iure, quove nomine Herodotus, ab ea familia omnino alienus, in iisdem monumentis locum invenerit? — Haud dubie, si sibi constantem reddere vis Marcellinum, scripsisse eum dicas oportet: εὑρίσκονται δηλονότι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντες· atque hanc veram esse auctoris scripturam confido. Qui tamen aperte graviter falsus est. Quis enim unquam cognationem inter Herodotum Miltiadisque familiam interfuisse tradidit? — Quid igitur faciendum de isto loco? *Dahlmannus* (l. l. p. 215.) omnem ei fidem denegat, prorsusque respuit eius testimonium. *Larcherus* (l. l. p. XCI.) eo rem explicare tentat, ut Herodotum, antequam Thurios profectus sit, civitate ab Atheniensibus donatum, atque ab aliquo gentis Cimoniae homine adopta-

84) *Poppo* ὤν legendum censet, ut intelligatur Θουκυδίδης.

85) De Cimone, Miltiadis patre, ipse Herodotus VI. 103. haecce exhibet: τέθαπται δὲ Κίμων πρὸ τοῦ ἄστεος, πέρην τῆς διὰ Κοίλης καλεομένης ὁδοῦ. Unde apparet, illum gentis illius primum ibi sepultum fuisse.

86) V. Poppo: Prolegg. Thucyd. Vol. I. p. 24.

adoptatum fuisse autumet. Quam tamen opinionem quum plane commentus sit, nec veteris cuiusquam testimonium ad eam probandam afferat, ego potius in sententiam *Hudsoni* (ad. Marcellin. l. l.) discedo, qui observat: „habuisse quidem gentes et familias sua singulas monumenta, unde Demosthenes in Orat. adv. Macartatum: ἐν τῷ μνήματι Βουσελιδῶν πάντες οἱ ἀπὸ τοῦ Βουσέλου γενόμενοι κεῖνται· sed dubitari ne, hoc religiose adeo observatum fuisse, ut neminem ex aliena familia iisdem monumentis inferre licuerit." Fortasse ex ipsius familiae, ad quam pertinebat tale sepulcrum, arbitrio pendebat, alieni quoque ibidem componendi copiam facere, eamque interdum insigniori cuique viro honoris caussa ultro oblatam fuisse, coniicere licet. — Minime vero dico, Athenis mortuum esse Herodotum[87]), atque re vera humatum in Cimoniis istis sepulcris. Immo *cenotaphium* fuisse illud, non verum sepulcrum, cum *Fabricio*[88]), *Wesselingio* (Praef. p. VIII. ed. Gaisf.) et *Larchero* (p. XCI.) mihi persuadeo, quod ab Atheniensibus magno viro deque ipsis optime merito, po-

87) Quae erat sententia *Bouherii* in: *Récherches et Dissertations sur Hérodote*, pag. 8.

88) Bibl. Gr. II. 20. p. 662, ubi quum scriptum sit: „Cenotaphium honorarium Athenis inter monumenta Cimonia Herodoto positum tradit Marcellinus in Thucyd. vita": in eo certe reprehendendus summus vir, quod ita sententiam suam profert, quasi diserte dicat Marcellinus, cenotaphium illud fuisse, quod secus esse vidimus.

steriori fortasse demum aevo, exstructum fuisse verisimillimum est. Locum vero illi cenotaphio aptissimum optavere prope Thucydidis sepulcrum, quod inter Κιμώνια μνήματα fuit propter eius cum hac familia cognationem; nisi forte, quae Marcellini verbis inesse videtur sententia, unum idemque monumentum utrique historico erexere. — Non nihil autem confirmatur ea opinio, cenotaphium fuisse Herodoti monumentum, alio in eadem *vita Thucydidis* obvio loco §. 31. (p. 326. ed. Poppo), ubi traditur, fuisse, qui Thucydidis sepulcrum pro cenotaphio habuerint.[89]) Quae quum ita sint, quidni de Herodoto idem statuamus, quem insuper Thuriis, non Athenis mortuum esse, aliis haud spernendis rationibus et testimoniis credimus? —

Nec uxoris, neque liberorum Herodoti ulla apud veteres mentio fit. Videtur adeo caelebs vitam egisse. Quae opinio eo confirmatur, quod *Ptolemaeus Hephaestionis* apud *Photium* (in Bibl. Cod. 190. p. 246. ed. Hoeschel. p. 148. b. ed. Bekker) *Plesirrhoum* quendam, Thessalum hymnographum, Herodoto amatum eiusque heredem ac historiarum

89) Verba sunt: οἱ μὲν οὖν αὐτὸν (Θουκυδίδην sc.) ἐκεῖ λέγουσι ἀποθανεῖν, ἔνθα καὶ διέτριβε φυγὰς ὤν· καὶ φέρουσι μαρτύριον τοῦ μὴ κεῖσθαι τὸ σῶμα ἐπὶ τῆς Ἀττικῆς· ἴκριον γὰρ ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι· τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετελευτηκότων, καὶ μὴ ἐν Ἀθήναις ταφέντων. Ad quem locum v. Interprr. apud Poppon.

editorem fuisse tradit. Quem hic nominasse sufficiat. Posthac enim et de hoc et aliis, quibuscum commercium Herodoto quolecunque intercessisse videtur, seorsim tractabimus.

V.

De itineribus Herodoti.

Pertractata scriptoris nostri vita, quatenus fieri potuit in tanta veterum testimoniorum partim inopia, partim incerta fide, propius iam accedentibus ad eius historias quaestionemque de earum confectione fatisque atque omnino habitu et conditione instituendam: primum inquirendum est in auctoris itinera. Quae quidem quum ad ipsam vitam pertineant, neque ibi praetermitti potuerint, accuratius tamen nunc seorsim sunt consideranda tamquam primum idque potissimum fontium genus, unde materiam hauserit scriptor. Itaque in confinio quodammodo sita huius nostrae disquisitionis de vita Herodoti ipsiusque fatis, alteriusque, quam in futurum proferimus, de eiusdem scriptis haec de itineribus quaestio viam mox secuturis muniet. — Fontes enim quum duplices sint, priori loco proprium scriptoris adspectum (αὐτοψίαν) aut hominum ex iis populis, quorum res enarrat percunctationem (ἱστορίαν)[90], ex quo fonte longe plurima fluxisse facile patebit, posteriori aliorum, qui ante Herodotum scripserant, auctorum libros habendos esse apparet.

Itineribus multis et longinquis haud exiguam

90) Arctiori sensu, quo ipse Herodotus ab ὄψις distinguit eam vocem II. 99. cf. II. 118.

vitae partem impendisse Nostrum, ut aequo certe iure, ac Hecataeus Milesius, πολυπλανὴς vocari possit [91]), in superioribus capitibus non semel observavimus. Quam rem quum, quod iure mireris, nemo fere veterum scriptorum diserte testetur, ipse sibi Herodotus optimus eius testis est. Licet enim nusquam glorietur longis istis ac sine dubio operosis peregrinationibus, neque in enarrandis itinerum casibus et fatis, quae probabiliter multifaria ei obtigerant, sibi placeat: tamen in eius libris non desunt plus minusve perspicua eius rei indicia.

Atque paullo quidem rarius diserte ait, se in loco aliquo ipsum affuisse, quamquam ne eiusmodi quidem locis plane destituimur. Saepius vero tam accurate tamque vividis coloribus regionem, locum, rem denique qualemcunque describit vel potius depingit, ut dubitari nequeat, quin eius notitiam proprio adspectui debeat. Saepenumero terrarum aut urbium incolas testes in ea, quae refert, citat, unde coniecturam facere licet, in ipsorum sedes pervenisse Nostrum, sermonemque ibi cum illis contulisse. Quamquam hoc quidem documentum haud pariter cadit in quosque populos, sed maxime in eos tantum, qui interiores et ab ora maritima remotiores terras inhabitabant, quosque haud facile fines suos egredi consuevisse constat. Nam cum maritimis gentibus, imprimis Phoenicibus, Carthaginiensibus, Grae-

91) Sic Hecataeum Agathemerus vocat. V. Creuzer: *hist. Kunst.* p. 74.

cis praesertim Asiam incolentibus, quippe mercaturae et navigationibus deditissimis, etiamsi ipsorum terras non attigit, facile colloquendi occasio offerri ei potuit.

Accedit ad ea, quae rencensui itinerum indicia, quod, qua est fide et simplicitate, satis distincte ubique fere significat, si qua non ipse viderit, sed aliis auctoribus crediderit, additis vocibus λέγεται, φασὶ, πυνθάνομαι et similibus; unde haud perperam, opinor, conici potest, pleraque ea, in quibus eiusmodi cautione uti neglexerit, ab ipso conspecta et explorata fuisse. Quorum omnium haud pauca mox subiiciam exempla, iamiam ubi et quousque excurrerit Herodotus, illis quae dixi indiciis ducibus, investigaturus.

Qua in re ut aliquem certe ordinem sequamur, primum *Asiam*, deinde *Africam*, postremo *Europam*, quatenus unaquaeque orbis pars cognita Nostro putanda est, considerabimus. In definiendis autem istis orbis terrarum partibus ipsius sequemur Herodoti (IV. 45.) rationem, ab ea, qua nunc fere utimur, nonnihil diversam; ex qua Europae et Asiae terminum *Phasin* fluvium constituit, quamquam addens, alios pro Phasi ponere Tanain, Maeotidem et Porthmia Cimmeria. — Africae vero et Asiae terminum non aliter eum ac nos constituisse, probabilis coniectura est, quamquam eo loco, quem modo citavimus, vulgari suae aetatis sententiae, ex qua *Nilus* utramque terram dirimere putabatur, assentiri videtur. Qua de re infra accuratius disputabimus.

1. *Asia.*

Asiae minoris, quam vocamus, maximam partem, aeque maritimas regiones Graecorumque ibi sitas colonias insulasque adiacentes, ac interiorem terram peragravit. Ut ab ipsius patria *Caria* ordiamur, eam haud dubie satis perspectam habuit. Accurate describit *Cnidiorum* peninsulam I. 174; de origine sua *Cares* a Cretensibus diversa referre memorat I. 171, *Caunios* vero, quos pro indigenis ipse habeat, sese a Creta oriundos affirmare I. 172. — *Rhodum* quoque insulam vicinam adiisse Herodotum, apertum fit ex II. 182, ubi Amasidem, Aegyptiorum regem, praeter alia donaria, in templum quod *Lindi* erat Minervae duo lapidea signa, thoracemque lineum visu dignum (ἀξιοθέητον) misisse refert, quem similem fuisse dicit III. 47. alteri eiusmodi thoraci ab eodem Amaside Lacedaemoniis misso, sed a Samiis intercepto.

Ioniae situm praeclarum gratissimamque coeli temperiem ita praedicat, ut ipsum dulcedine illa fruitum esse pateat, idemque Ionicae dialecti varietatem quadruplicem diligenter indicat I. 142 sqq. Plurium Ioniae urbium cives sciscitatus est de proelio illo navali cum Persis infeliciter commisso; scribit enim VI. 14., rem illam non plane compertam sibi esse, quoniam cladis culpam Ionum alii in alios reiiciant. Praeterea *Milesios* narrationis cuiusdam auctores citat I. 20; *Branchidarum* oraculum in Milesiorum agro situm ipse adiisse videtur (I. 157.). *Mycales* promontorii *Panioniique* situm indicat I. 148.

cf. IX. 97. *Ephesi* intervallum inter veterem urbem et templum Dianae dimensus est (I. 26.), cuius templi magnitudinem prae labyrintho Aegyptiaco nihili esse dicit II. 148, quamquam per se non contemnendam. Similiter II. 10. Aegypti terram inter montem Arabicum et Libycum sitam tum regione circa Ephesum Maeandrique planitie comparat. Eadem denique in urbe Croesi donaria ipse conspexit, id quod aperte docent haec verba I. 92: Κροίσῳ δέ ἐστι καὶ ἄλλα ἀναθήματα ἐν τῇ Ἑλλάδι πολλὰ — — ἐν δὲ Ἐφέσῳ αἵ τε βόες αἱ χρύσεαι καὶ τῶν κιόνων αἱ πολλαὶ. Duas statuas Sesostris, quarum altera in via ab Epheso *Phocaeam*, altera in via a Sardibus *Smyrnam* versus ferente posita erat, quasque accurate depingit II. 106., haud dubie ipse vidit; nec minus murum *Phocaeae* Arganthonii regis Tartessiorum liberalitate a civibus aedificatum. I. 163.

Nullam autem Ionum sedem tam saepe respicit, quam *Samum* insulam, ut vel eo probari videatur, quod Suidas refert, aliquamdiu Herodotum ibi commoratum fuisse (v. supra n. 12.). Permulta enim cum terrae et urbis, tum maxime *Heraei*, i. e. Iunonis templi, memorabilia recenset ac diligenter describit, quae singula enumerare supersedeo. Sufficient hi loci indicati: II. 148. 182. III. 47. 54. 60. 123. 142. IV. 88. 152. VI. 14. Praeterea I. 70. Samios narrationis cuiusdam auctores allegat.

Aeolicas urbes tum in terra continenti, tum in insulis sitas enumerat I. 149 sqq., quas quum probabiliter omnes ipse adierit, tamen certa eius rei indi-

cia de plerisque frustra quaesivi. In una vero Aeolica urbe, *Pitane*, ipse se affuisse planissime affirmat, scribens III. 55.: „τρίτῳ δὲ ἀπ' Ἀρχίεω τούτου γεγονότι ἄλλῳ Ἀρχίῃ τῷ Σαμίου τοῦ Ἀρχίεω, αὐτὸς ἐν Πιτάνῃ συνεγενόμην." Ceterum cum *Lesbiis* quoque sermonem contulit, id quod apertum fit ex I. 23 et 24, ubi in notissima de Arione fabula Lesbios una cum Corinthiis auctores habet. Cf. etiam IV. 61.

Lydorum idem testimonio utitur I. 93 fin. 94. IV. 45; neque dubium est, quin suis oculis admiratus sit ingens illud Alyattae sepulcrum ad Gygaeam paludem situm, quod dicit I. 93. ἔργον πολλὸν μέγιστον, χωρὶς τῶν τε Αἰγυπτίων ἔργων καὶ τῶν Βαβυλωνίων, et de quo mox: οὗροι δὲ πέντε ἑόντες ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν ἐπὶ τοῦ σήματος ἄνω", cuiusque amplitudinem ipse permensus esse videtur; diligenter enim mensuram apponit. Lydiae caput *Sardes* in ipsius fuisse conspectu, haud obscure ostendit campus Sardianus descriptus I. 80; item quae scribit I. 84. de quodam muri Sardiani loco inexpugnabili; denique comparata Sardium cum Cadyti urbe magnitudo III. 5. („Καδύτιος — πόλιος, ὡς ἐμοὶ δοκέει, Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος"). *Maeandrum* fluvium, qui fluit in confinio Lydiae et Cariae, ipsi exploratum fuisse, suadet praeter locum supra citatum (II. 10.) hicce alius: II. 29, ubi Nili cursus, qualis esse ferebatur ultra Elephantinam, comparatur cum tortuoso illo flumine.

Ad *Mysiam* quod attinet, regio circa *Ilium* et

Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα, ἔνθα δείκνυται Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου τάφος· εὑρίσκεται δηλονότι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντως[84]· ξένος γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ θάπτεται.[85] Haec verba repugnantia laborant, nisi etiam Herodotum Cimonis familiae accenseri ab auctore statuamus. Nam Thucydidi quidem suo iure locus ibi concessus est, quippe quem paternum genus ad Cimonem, Miltiadis filium, retulisse etiam aliunde constat.[86] Quo vero iure, quove nomine Herodotus, ab ea familia omnino alienus, in iisdem monumentis locum invenerit? — Haud dubie, si sibi constantem reddere vis Marcellinum, scripsisse eum dicas oportet: εὑρίσκονται δηλονότι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντες· atque hanc veram esse auctoris scripturam confido. Qui tamen aperte graviter falsus est. Quis enim unquam cognationem inter Herodotum Miltiadisque familiam interfuisse tradidit? — Quid igitur faciendum de isto loco? *Dahlmannus* (l. l. p. 215.) omnem ei fidem denegat, prorsusque respuit eius testimonium. *Larcherus* (l. l. p. XCI.) eo rem explicare tentat, ut Herodotum, antequam Thurios profectus sit, civitate ab Atheniensibus donatum, atque ab aliquo gentis Cimoniae homine adopta-

84) *Poppo* ὤν legendum censet, ut intelligatur Θουκυδίδης.

85) De Cimone, Miltiadis patre, ipse Herodotus VI. 103. haecce exhibet: τέθαπται δὲ Κίμων πρὸ τοῦ ἄστεος, πέρην τῆς διὰ Κοίλης καλεομένης ὁδοῦ. Unde apparet, illum gentis illius primum ibi sepultum fuisse.

86) V. Poppo: Prolegg. Thucyd. Vol. I. p. 24.

adoptatum fuisse autumet. Quam tamen opinionem quum plane commentus sit, nec veteris cuiusquam testimonium ad eam probandam afferat, ego potius in sententiam *Hudsoni* (ad. Marcellin. l. l.) discedo, qui observat: „habuisse quidem gentes et familias sua singulas monumenta, unde Demosthenes in Orat. adv. Macartatum: ἐν τῷ μνήματι Βουσελιδῶν πάντες οἱ ἀπὸ τοῦ Βουσέλου γενόμενοι κεῖνται· sed dubitari se, hoc religiose adeo observatum fuisse, ut neminem ex aliena familia iisdem monumentis inferre licuerit." Fortasse ex ipsius familiae, ad quam pertinebat tale sepulcrum, arbitrio pendebat, alieni quoque ibidem componendi copiam facere, eamque interdum insigniori cuique viro honoris caussa ultro oblatam fuisse, coniicere licet. — Minime vero dico, Athenis mortuum esse Herodotum[87]), atque re vera humatum in Cimoniis istis sepulcris. Immo *cenotaphium* fuisse illud, non verum sepulcrum, cum *Fabricio*[88]), *Wesselingio* (Praef. p. VIII. ed. Gaisf.) et *Larchero* (p. XCI.) mihi persuadeo, quod ab Atheniensibus magno viro deque ipsis optime merito, po-

87) Quae erat sententia *Bouherii* in: *Récherches et Dissertations sur Hérodote*, pag. 8.

88) Bibl. Gr. II. 20. p. 662, ubi quum scriptum sit: „Cenotaphium honorarium Athenis inter monumenta Cimonia Herodoto positum tradit Marcellinus in Thucyd. vita": in eo certe reprehendendus summus vir, quod ita sententiam suam profert, quasi diserte dicat Marcellinus, cenotaphium illud fuisse, quod secus esse vidimus.

steriori fortasse demum aevo, exstructum fuisse verisimillimum est. Locum vero illi cenotaphio aptissimum optavere prope Thucydidis sepulcrum, quod inter Κιμώνια μνήματα fuit propter eius cum hac familia cognationem; nisi forte, quae Marcellini verbis inesse videtur sententia, unum idemque monumentum utrique historico erexere. — Non nihil autem confirmatur ea opinio, cenotaphium fuisse Herodoti monumentum, alio in eadem *vita Thucydidis* obvio loco §. 31. (p. 326. ed. Poppo), ubi traditur, fuisse, qui Thucydidis sepulcrum pro cenotaphio habuerint.[89]) Quae quum ita sint, quidni de Herodoto idem statuamus, quem insuper Thuriis, non Athenis mortuum esse, aliis haud spernendis rationibus et testimoniis credimus? —

Nec uxoris, neque liberorum Herodoti ulla apud veteres mentio fit. Videtur adeo caelebs vitam egisse. Quae opinio eo confirmatur, quod *Ptolemaeus Hephaestionis* apud *Photium* (in Bibl. Cod. 190. p. 246. ed. Hoeschel. p. 148. b. ed. Bekker) *Plesirrhoum* quendam, Thessalum hymnographum, Herodoto amatum eiusque heredem ac historiarum

89) Verba sunt: οἱ μὲν οὖν αὐτὸν (Θουκυδίδην sc.) ἐκεῖ λέγουσι ἀποθανεῖν, ἔνθα καὶ διέτριβε φυγὰς ὤν· καὶ φέρουσι μαρτύριον τοῦ μὴ κεῖσθαι τὸ σῶμα ἐπὶ τῆς Ἀττικῆς· ἔκριον γὰρ ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι· τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετελευτηκότων, καὶ μὴ ἐν Ἀθήναις ταφέντων. Ad quem locum v. Interprr. apud Poppon.

editorem fuisse tradit. Quem hic nominasse sufficiat. Posthac enim et de hoc et aliis, quibuscum commercium Herodoto quolecunque intercessisse videtur, seorsim tractabimus.

V.

De itineribus Herodoti.

Pertractata scriptoris nostri vita, quatenus fieri potuit in tanta veterum testimoniorum partim inopia, partim incerta fide, propius iam accedentibus ad eius historias quaestionemque de earum confectione fatisque atque omnino habitu et conditione instituendam: primum inquirendum est in auctoris itinera. Quae quidem quum ad ipsam vitam pertineant, neque ibi praetermitti potuerint, accuratius tamen nunc seorsim sunt consideranda tamquam primum idque potissimum fontium genus, unde materiam hauserit scriptor. Itaque in confinio quodammodo sita huius nostrae disquisitionis de vita Herodoti ipsiusque fatis, alteriusque, quam in futurum proferimus, de eiusdem scriptis haec de itineribus quaestio viam mox secuturis muniet. — Fontes enim quum duplices sint, priori loco proprium scriptoris adspectum (*αὐτοψίαν*) aut hominum ex iis populis, quorum res enarrat percunctationem (*ἱστορίαν*)[90], ex quo fonte longe plurima fluxisse facile patebit, posteriori aliorum, qui ante Herodotum scripserant, auctorum libros habendos esse apparet.

Itineribus multis et longinquis haud exiguam

90) Arctiori sensu, quo ipse Herodotus ab *ὄψις* distinguit eam vocem II. 99. cf. II. 118.

vitae partem impendisse Nostrum, ut aequo certe iure, ac Hecataeus Milesius, πολυπλανὴς vocari possit [91]), in superioribus capitibus non semel observavimus. Quam rem quum, quod iure mireris, nemo fere veterum scriptorum diserte testetur, ipse sibi Herodotus optimus eius testis est. Licet enim nusquam glorietur longis istis ac sine dubio operosis peregrinationibus, neque in enarrandis itinerum casibus et fatis, quae probabiliter multifaria ei obtigerant, sibi placeat: tamen in eius libris non desunt plus minusve perspicua eius rei indicia.

Atque paullo quidem rarius diserte ait, se in loco aliquo ipsum affuisse, quamquam ne eiusmodi quidem locis plane destituimur. Saepius vero tam accurate tamque vividis coloribus regionem, locum, rem denique qualemcunque describit vel potius depingit, ut dubitari nequeat, quin eius notitiam proprio adspectui debeat. Saepenumero terrarum aut urbium incolas testes in ea, quae refert, citat, unde coniecturam facere licet, in ipsorum sedes pervenisse Nostrum, sermonemque ibi cum illis contulisse. Quamquam hoc quidem documentum haud pariter cadit in quosque populos, sed maxime in eos tantum, qui interiores et ab ora maritima remotiores terras inhabitabant, quosque haud facile fines suos egredi consuevisse constat. Nam cum maritimis gentibus, imprimis Phoenicibus, Carthaginiensibus, Grae-

91) Sic Hecataeum Agathemerus vocat. V. Creuzer: *hist. Kunst.* p. 74.

cis praesertim Asiam incolentibus, quippe mercaturae et navigationibus deditissimis, etiamsi ipsorum terras non attigit, facile colloquendi occasio offerri ei potuit.

Accedit ad ea, quae rencensui itinerum indicia, quod, qua est fide et simplicitate, satis distincte ubique fere significat, si qua non ipse viderit, sed aliis auctoribus crediderit, additis vocibus λέγεται, φασὶ, πυνθάνομαι et similibus; unde haud perperam, opinor, coniici potest, pleraque ea, in quibus eiusmodi cautione uti neglexerit, ab ipso conspecta et explorata fuisse. Quorum omnium haud pauca mox subiiciam exempla, iamiam ubi et quousque excurrerit Herodotus, illis quae dixi indiciis ducibus, investigaturus.

Qua in re ut aliquem certe ordinem sequamur, primum *Asiam*, deinde *Africam*, postremo *Europam*, quatenus unaquaeque orbis pars cognita Nostro putanda est, considerabimus. In definiendis autem istis orbis terrarum partibus ipsius sequemur Herodoti (IV. 45.) rationem, ab ea, qua nunc fere utimur, nonnihil diversam; ex qua Europae et Asiae terminum *Phasin* fluvium constituit, quamquam addens, alios pro Phasi ponere Tanain, Maeotidem et Porthmia Cimmeria. — Africae vero et Asiae terminum non aliter eum ac nos constituisse, probabilis coniectura est, quamquam eo loco, quem modo citavimus, vulgari suae aetatis sententiae, ex qua *Nilus* utramque terram dirimere putabatur, assentiri videtur. Qua de re infra accuratius disputabimus.

1. *Asia.*

Asiae minoris, quam vocamus, maximam partem, aeque maritimas regiones Graecorumque ibi sitas colonias insulasque adiacentes, ac interiorem terram peragravit. Ut ab ipsius patria *Caria* ordiamur, eam haud dubie satis perspectam habuit. Accurate describit *Cnidiorum* peninsulam I. 174; de origine sua *Cares* a Cretensibus diversa referre memorat I. 171, *Caunios* vero, quos pro indigenis ipse habeat, sese a Creta oriundos affirmare I. 172. — *Rhodum* quoque insulam vicinam adiisse Herodotum, apertum fit ex II. 182, ubi Amasidem, Aegyptiorum regem, praeter alia donaria, in templum quod *Lindi* erat Minervae duo lapidea signa, thoracemque lineum visu dignum (ἀξιοθέητον) misisse refert, quem similem fuisse dicit III. 47. alteri eiusmodi thoraci ab eodem Amaside Lacedaemoniis misso, sed a Samiis intercepto.

Ioniae situm praeclarum gratissimamque coeli temperiem ita praedicat, ut ipsum dulcedine illa fruitum esse pateat, idemque Ionicae dialecti varietatem quadruplicem diligenter indicat I. 142 sqq. Plurium Ioniae urbium cives sciscitatus est de proelio illo navali cum Persis infeliciter commisso; scribit enim VI. 14., rem illam non plane compertam sibi esse, quoniam cladis culpam Ionum alii in alios reiiciant. Praeterea *Milesios* narrationis cuiusdam auctores citat I. 20; *Branchidarum* oraculum in Milesiorum agro situm ipse adiisse videtur (I. 157.). *Mycales* promontorii *Panioniique* situm indicat I. 148.

cf. IX. 97. *Ephesi* intervallum inter veterem urbem et templum Dianae dimensus est (I. 26.), cuius templi magnitudinem prae labyrintho Aegyptiaco nihili esse dicit II. 148, quamquam per se non contemnendam. Similiter II. 10. Aegypti terram inter montem Arabicum et Libycum sitam cum regione circa Ephesum Maeandrique planitie comparat. Eadem denique in urbe Croesi donaria ipse conspexit, id quod aperte docent haec verba I. 92: Κροίσῳ δέ ἐστι καὶ ἄλλα ἀναθήματα ἐν τῇ Ἑλλάδι πολλὰ — — ἐν δὲ Ἐφέσῳ αἵ τε βόες αἱ χρύσεαι καὶ τῶν κιόνων αἱ πολλαί. Duas statuas Sesostris, quarum altera in via ab Epheso *Phocaeam*, altera in via a Sardibus *Smyrnam* versus ferente posita erat, quasque accurate depingit II. 106., haud dubie ipse vidit; nec minus murum *Phocaeae* Arganthonii regis Tartessiorum liberalitate a civibus aedificatum. I. 163.

Nullam autem Ionum sedem tam saepe respicit, quam *Samum* insulam, ut vel eo probari videatur, quod Suidas refert, aliquamdiu Herodotum ibi commoratum fuisse (v. supra n. 12.). Permulta enim cum terrae et urbis, tum maxime *Heraei*, i. e. Iunonis templi, memorabilia recenset ac diligenter describit, quae singula enumerare supersedeo. Sufficient hi loci indicati: II. 148. 182. III. 47. 54. 60. 123. 142. IV. 88. 152. VI. 14. Praeterea I. 70. Samios narrationis cuiusdam auctores allegat.

Aeolicas urbes tum in terra continenti, tum in insulis sitas enumerat I. 149 sqq., quas quum probabiliter omnes ipse adierit, tamen certa eius rei indi-

cia de plerisque frustra quaesivi. In una vero Aeolica urbe, *Pitane*, ipse se affuisse planissime affirmat, scribens III. 55.: „τρίτῳ δὲ ἀπ' Ἀρχίεω τούτου γεγονότι ἄλλῳ Ἀρχίῃ τῷ Σαμίου τοῦ Ἀρχίεω, αὐτὸς ἐν Πιτάνῃ συνεγενόμην." Celerum cum *Lesbiis* quoque sermonem contulit, id quod apertum fit ex I. 23 et 24, ubi in notissima de Arione fabula Lesbios una cum Corinthiis auctores habet. Cf. etiam IV. 61.

Lydorum idem testimonio utitur I. 93 fin. 94. IV. 45; neque dubium est, quin suis oculis admiratus sit ingens illud Alyattae sepulcrum ad Gygaeam paludem situm, quod dicit I. 93.: ἔργον πολλὸν μέγιστον, χωρὶς τῶν τε Αἰγυπτίων ἔργων καὶ τῶν Βαβυλωνίων, et de quo mox: οὖροι δὲ πέντε ἐόντες ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν ἐπὶ τοῦ σήματος ἄνω", cuiusque amplitudinem ipse permensus esse videtur; diligenter enim mensuram apponit. Lydiae caput *Sardes* in ipsius fuisse conspectu, haud obscure ostendit campus Sardianus descriptus I. 80; item quae scribit I. 84. de quodam muri Sardiani loco inexpugnabili; denique comparata Sardium cum Cadyti urbe magnitudo III. 5. („Καδύτιος — πόλιος, ὡς ἐμοὶ δοκέει, Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος"). *Maeandrum* fluvium, qui fluit in confinio Lydiae et Cariae, ipsi exploratum fuisse, suadet praeter locum supra citatum (II. 10.) hicce alius: II. 29, ubi Nili cursus, qualis esse ferebatur ultra Elephantinam, comparatur cum tortuoso illo flumine.

Ad *Mysiam* quod attinet, regio circa *Ilium* et

Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα, ἔνθα δείκνυται Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου τάφος· εὑρίσκεται δηλονότι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντως[84])· ξένος γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ ἐτάφη.[85]) Haec verba repugnantia laborant, nisi etiam Herodotum Cimonis familiae accenseri ab auctore statuamus. Nam Thucydidi quidem suo iure locus ibi concessus est, quippe quem paternum genus ad Cimonem, Miltiadis filium, retulisse etiam aliunde constat.[86]) Quo vero iure, quove nomine Herodotus, ab ea familia omnino alienus, in iisdem monumentis locum invenerit? — Haud dubie, si sibi constantem reddere vis. Marcellinum, scripsisse eum dicas oportet: εὑρίσκονται δηλονότι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντες· atque hanc veram esse auctoris scripturam confido. Qui tamen aperte graviter falsus est. Quis enim unquam cognationem inter Herodotum Miltiadisque familiam interfuisse tradidit? — Quid igitur faciendum de isto loco? *Dahlmannus* (l. l. p. 215.) omnem ei fidem denegat, prorsusque respuit eius testimonium. *Larcherus* (l. l. p. XCI.) eo rem explicare tentat, ut Herodotum, antequam Thurios profectus sit, civitate ab Atheniensibus donatum, atque ab aliquo gentis Cimoniae homine adopta-

84) *Poppo* ὤν legendum censet, ut intelligatur Θουκυδίδης.

85) De Cimone, Miltiadis patre, ipse Herodotus VI. 103. haecce exhibet: τέθαπται δὲ Κίμων πρὸ τοῦ ἄστεος, πέρην τῆς διὰ Κοίλης καλεομένης ὁδοῦ. Unde apparet, illum gentis illius primum ibi sepultum fuisse.

86) V. Poppo: Prolegg. Thucyd. Vol. I. p. 24.

adoptatum fuisse autumet. Quam tamen opinionem quum plane commentus sit, nec veteris cuiusquam testimonium ad eam probandam afferat, ego potius in sententiam *Hudsoni* (ad. Marcellin. l. l.) discedo, qui observat: „habuisse quidem gentes et familias sua singulas monumenta, unde Demosthenes in Orat. adv. Macartatum: ἐν τῷ μνήματι Βουσελίδων πάντες οἱ ἀπὸ τοῦ Βουσέλου γενόμενοι κεῖνται· sed dubitari se, hoc religiose adeo observatum fuisse, ut neminem ex aliena familia iisdem monumentis inferre licuerit." Fortasse ex ipsius familiae, ad quam pertinebat tale sepulcrum, arbitrio pendebat, alieni quoque ibidem componendi copiam facere, eamque interdum insigniori cuique viro honoris caussa ultro oblatam fuisse, coniicere licet. — Minime vero dico, Athenis mortuum esse Herodotum[87]), atque re vera humatum in Cimoniis istis sepulcris. Immo *cenotaphium* fuisse illud, non verum sepulcrum, cum *Fabricio*[88]), *Wesselingio* (Praef. p. VIII. ed. Gaisf.) et *Larchero* (p. XCI.) mihi persuadeo, quod ab Atheniensibus magno viro deque ipsis optime merito, po-

87) Quae erat sententia *Bouherii* in: *Récherches et Dissertations sur Hérodote*, pag. 8.

88) Bibl. Gr. II. 20. p. 662, ubi quum scriptum sit: „Cenotaphium honorarium Athenis inter monumenta Cimonia Herodoto positum tradit Marcellinus in Thucyd. vita": in eo certe reprehendendus summus vir, quod ita sententiam suam profert, quasi diserte dicat Marcellinus, cenotaphium illud fuisse, quod secus esse vidimus.

steriori fortasse demum aevo, exstructum fuisse verisimillimum est. Locum vero illi cenotaphio aptissimum optavere prope Thucydidis sepulcrum, quod inter Κιμώνια μνήματα fuit propter eius cum hac familia cognationem; nisi forte, quae Marcellini verbis inesse videtur sententia, unum idemque monumentum utrique historico erexere. — Non nihil autem confirmatur ea opinio, cenotaphium fuisse Herodoti monumentum, alio in eadem *vita Thucydidis* obvio loco §. 31. (p. 326. ed. Poppo), ubi traditur, fuisse, qui Thucydidis sepulcrum pro cenotaphio habuerint.[89]) Quae quum ita sint, quidni de Herodoto idem statuamus, quem insuper Thuriis, non Athenis mortuum esse, aliis haud spernendis rationibus et testimoniis credimus? —

Nec uxoris, neque liberorum Herodoti ulla apud veteres mentio fit. Videtur adeo caelebs vitam egisse. Quae opinio eo confirmatur, quod *Ptolemaeus Hephaestionis* apud *Photium* (in Bibl. Cod. 190. p. 246. ed. Hoeschel. p. 148. b. ed. Bekker) *Plesirrhoum* quendam, Thessalum hymnographum, Herodoto amatum eiusque heredem ac historiarum

89) Verba sunt: οἱ μὲν οὖν αὐτὸν (Θουκυδίδην sc.) ἐκεῖ λέγουσι ἀποθανεῖν, ἔνθα καὶ διέτριβε φυγὰς ὤν· καὶ φέρουσι μαρτύριον τοῦ μὴ κεῖσθαι τὸ σῶμα ἐπὶ τῆς Ἀττικῆς· ἴκριον γὰρ ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι· τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετελευτηκότων, καὶ μὴ ἐν Ἀθήναις ταφέντων. Ad quem locum v. Interprr. apud Poppon.

editorem fuisse tradit. Quem hic nominasse sufficiat. Posthac enim et de hoc et aliis, quibuscum commercium Herodoto quolecunque intercessisse videtur, seorsim tractabimus.

V.

De itineribus Herodoti.

Pertractata scriptoris nostri vita, quatenus fieri potuit in tanta veterum testimoniorum partim inopia, partim incerta fide, propius iam accedentibus ad eius historias quaestionemque de earum confectione fatisque atque omnino habitu et conditione instituendam: primum inquirendum est in auctoris itinera. Quae quidem quum ad ipsam vitam pertineant, neque ibi praetermitti potuerint, accuratius tamen nunc seorsim sunt consideranda tamquam primum idque potissimum fontium genus, unde materiam hauserit scriptor. Itaque in confinio quodammodo sita huius nostrae disquisitionis de vita Herodoti ipsiusque fatis, alteriusque, quam in futurum proferimus, de eiusdem scriptis haec de itineribus quaestio viam mox secuturis muniet. — Fontes enim quum duplices sint, priori loco proprium scriptoris adspectum (*αὐτοψίαν*) aut hominum ex iis populis, quorum res enarrat percunctationem (*ἱστορίαν*)[90], ex quo fonte longe plurima fluxisse facile patebit, posteriori aliorum, qui ante Herodotum scripserant, auctorum libros habendos esse apparet.

Itineribus multis et longinquis haud exiguam

90) Arctiori sensu, quo ipse Herodotus ab *ὄψις* distinguit eam vocem II. 99. cf. II. 118.

vitae partem impendisse Nostrum, ut aequo certe iure, ac Hecataeus Milesius, πολυπλανὴς vocari possit [91]), in superioribus capitibus non semel observavimus. Quam rem quum, quod iure mireris, nemo fere veterum scriptorum diserte testetur, ipse sibi Herodotus optimus eius testis est. Licet enim nusquam glorietur longis istis ac sine dubio operosis peregrinationibus, neque in enarrandis itinerum casibus et fatis, quae probabiliter multifaria ei obtigerant, sibi placeat: tamen in eius libris non desunt plus minusve perspicua eius rei indicia.

Atque paullo quidem rarius diserte ait, se in loco aliquo ipsum affuisse, quamquam ne eiusmodi quidem locis plane destituimur. Saepius vero tam accurate tamque vividis coloribus regionem, locum, rem denique qualemcunque describit vel potius depingit, ut dubitari nequeat, quin eius notitiam proprio adspectui debeat. Saepenumero terrarum aut urbium incolas testes in ea, quae refert, citat, unde coniecturam facere licet, in ipsorum sedes pervenisse Nostrum, sermonemque ibi cum illis contulisse. Quamquam hoc quidem documentum haud pariter cadit in quosque populos, sed maxime in eos tantum, qui interiores et ab ora maritima remotiores terras inhabitabant, quosque haud facile fines suos egredi consuevisse constat. Nam cum maritimis gentibus, imprimis Phoenicibus, Carthaginiensibus, Grae-

91) Sic Hecataeum Agathemerus vocat. V. Creuzer: *hist. Kunst.* p. 74.

cis praesertim Asiam incolentibus, quippe mercaturae et navigationibus deditissimis, etiamsi ipsorum terras non attigit, facile colloquendi occasio offerri ei potuit.

Accedit ad ea, quae rencensui itinerum indicia, quod, qua est fide et simplicitate, satis distincte ubique fere significat, si qua non ipse viderit, sed aliis auctoribus crediderit, additis vocibus λέγεται, φασὶ, πυνθάνομαι et similibus; unde haud perperam, opinor, conlici potest, pleraque ea, in quibus eiusmodi cautione uti neglexerit, ab ipso conspecta et explorata fuisse. Quorum omnium haud pauca mox subiiciam exempla, iamiam ubi et quousque excurrerit Herodotus, illis quae dixi indiciis ducibus, investigaturus.

Qua in re ut aliquem certe ordinem sequamur, primum *Asiam*, deinde *Africam*, postremo *Europam*, quatenus unaquaeque orbis pars cognita Nostro putanda est, considerabimus. In definiendis autem istis orbis terrarum partibus ipsius sequemur Herodoti (IV. 45.) rationem, ab ea, qua nunc fere utimur, nonnihil diversam; ex qua Europae et Asiae terminum *Phasin* fluvium constituit, quamquam addens, alios pro Phasi ponere Tanain, Maeotidem et Porthmia Cimmeria. — Africae vero et Asiae terminum non aliter eum ac nos constituisse, probabilis coniectura est, quamquam eo loco, quem modo citavimus, vulgari suae aetatis sententiae, ex qua *Nilus* utramque terram dirimere putabatur, assentiri videtur. Qua de re infra accuratius disputabimus.

1. *Asia.*

Asiae minoris, quam vocamus, maximam partem, aeque maritimas regiones Graecorumque ibi sitas colonias insulasque adiacentes, ac interiorem terram peragravit. Ut ab ipsius patria *Caria* ordiamur, eam haud dubie satis perspectam habuit. Accurate describit *Cnidiorum* peninsulam I. 174; de origine sua *Cares* a Cretensibus diversa referre memorat I. 171, *Caunios* vero, quos pro indigenis ipse habeat, sese a Creta oriundos affirmare I. 172. — *Rhodum* quoque insulam vicinam adiisse Herodotum, apertum fit ex II. 182, ubi Amasidem, Aegyptiorum regem, praeter alia donaria, in templum quod *Lindi* erat Minervae duo lapidea signa, thoracemque lineum visu dignum (ἀξιοθέητον) misisse refert, quem similem fuisse dicit III. 47. alteri eiusmodi thoraci ab eodem Amaside Lacedaemoniis misso, sed a Samiis intercepto.

Ioniae situm praeclarum gratissimamque coeli temperiem ita praedicat, ut ipsum dulcedine illa fruitum esse pateat, idemque Ionicae dialecti varietatem quadruplicem diligenter indicat I. 142 sqq. Plurium Ioniae urbium cives sciscitatus est de proelio illo navali cum Persis infeliciter commisso; scribit enim VI. 14., rem illam non plane compertam sibi esse, quoniam cladis culpam Ionum alii in alios reiiciant. Praeterea *Milesios* narrationis cuiusdam auctores citat I. 20; *Branchidarum* oraculum in Milesiorum agro situm ipse adiisse videtur (I. 157.). *Mycales* promontorii *Panioniique* situm indicat I. 148.

cf. IX. 97. *Ephesi* intervallum inter veterem urbem et templum Dianae dimensus est (I. 26.), cuius templi magnitudinem prae labyrintho Aegyptiaco nihili esse dicit II. 148, quamquam per se non contemnendam. Similiter II. 10. Aegypti terram inter montem Arabicum et Libycum sitam cum regione circa Ephesum Maeandrique planitie comparat. Eadem denique in urbe Croesi donaria ipse conspexit, id quod aperte docent haec verba I. 92: Κροίσῳ δέ ἐστι καὶ ἄλλα ἀναθήματα ἐν τῇ Ἑλλάδι πολλὰ — — ἐν δὲ Ἐφέσῳ αἵ τε βόες αἱ χρύσεαι καὶ τῶν κιόνων αἱ πολλαί. Duas statuas Sesostris, quarum altera in via ab Epheso *Phocaeam*, altera in via a Sardibus *Smyrnam* versus ferente posita erat, quasque accurate depingit II. 106., haud dubie ipse vidit; nec minus murum *Phocaeae* Arganthonii regis Tartessiorum liberalitate a civibus aedificatum. I. 163.

Nullam autem Ionum sedem tam saepe respicit, quam *Samum* insulam, ut vel eo probari videatur, quod Suidas refert, aliquamdiu Herodotum ibi commoratum fuisse (v. supra n. 12.). Permulta enim cum terrae et urbis, tum maxime *Heraei*, i. e. Iunonis templi, memorabilia recenset ac diligenter describit, quae singula enumerare supersedeo. Sufficient hi loci indicati: II. 148. 182. III. 47. 54. 60. 123. 142. IV. 88. 152. VI. 14. Praeterea I. 70. Samios narrationis cuiusdam auctores allegat.

Aeolicas urbes tum in terra continenti, tum in insulis sitas enumerat I. 149 sqq., quas quum probabiliter omnes ipse adierit, tamen certa eius rei indi-

cia de plerisque frustra quaesivi. In una vero Aeolica urbe, *Pitane*, ipse se affuisse planissime affirmat, scribens III. 55.: „τρίτῳ δὲ ἀπ' Ἀρχίεω τούτου γεγονότι ἄλλῳ Ἀρχίῃ τῷ Σαμίου τοῦ Ἀρχίεω, αὐτὸς ἐν Πιτάνῃ συνεγενόμην." Celerum cum *Lesbiis* quoque sermonem continuit, id quod apertum fit ex I. 23 et 24, ubi in notissima de Arione fabula Lesbios una cum Corinthiis auctores habet. Cf. etiam IV. 61.

Lydorum idem testimonio utitur I. 93 fin. 94. IV. 45; neque dubium est, quin suis oculis admiratus sit ingens illud Alyattae sepulcrum ad Gygaeam paludem situm, quod dicit I. 93.: ἔργον πολλὸν μέγιστον, χωρὶς τῶν τε Αἰγυπτίων ἔργων καὶ τῶν Βαβυλωνίων, et de quo mox: οὖροι δὲ πέντε ἑόντες ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν ἐπὶ τοῦ σήματος ἄνω", cuiusque amplitudinem ipse permensus esse videtur; diligenter enim mensuram apponit. Lydiae caput *Sardes* in ipsius fuisse conspectu, haud obscure ostendit campus Sardianus descriptus I. 80; item quae scribit I. 84. de quodam muri Sardiani loco inexpugnabili; denique comparata Sardium cum Cadyti urbe magnitudo III. 5. („Καδύτιος — πόλιος, ὡς ἐμοὶ δοκέει, Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος"). *Maeandrum* fluvium, qui fluit in confinio Lydiae et Cariae, ipsi exploratum fuisse, suadet praeter locum supra citatum (II. 10.) hicce alius: II. 29, ubi Nili cursus, qualis esse ferebatur ultra Elephantinam, comparatur cum tortuoso illo flumine.

Ad *Mysiam* quod attinet, regio circa *Ilium* et

Teuthraniam, ab ipso scilicet spectata, pariter ac Aegypti quaedam pars olim maris sinus fuisse ipsi visa est II. 10. Fabulam porro de Aristea ab ipsis *Cyzicenis* et *Proconnesiis* sciscitatus est, ut diserte ait IV. 14. τὸν δὲ περὶ αὐτοῦ ἤκουον λόγον ἐν Προκοννήσῳ καὶ Κυζίκῳ λέξω. cf. IV. 15. Denique ubi bene perpenderis locum illum paullo impeditiorem, I. 57, ubi praeter Crestona urbem oppida quoque *Placiam* et *Scylacen* pro argumento habet, quo barbara lingua usos fuisse Pelasgos probet: dubitare non poteris, quin ipse Noster viserit quae diximus oppida, incolarumque sermonem audierit. Neque quod in Hellesponto sita ea dicit, quae accuratius ad Propontidem fuisse refert Pomponius Mela I. 19. (cf. Plin. H. N. V. 39.), imperitiae idcirco Herodotum arguas, qui saepe Hellesponti sub nomine etiam Propontidem una cum illo freto comprehendit.[92]) Ceterum optime proprioque adspectu interiora quoque Mysiae explorata Herodoto fuisse, docet Xerxis a Sardibus usque ad *Abydum* iter descriptum VII. 42 sq.

Hinc iam Ponti Euxini australe littus sequemur, terrasque, quibus formatur ea ora: Bithyniam, Paphlagoniam, Pontum. *Bithynos* in recensione singularum, quibus Xerxis exercitus constabat, nationum VII. 75. olim Strymonios dictos ac Strymonis fluvii accolas fuisse tradit, ipsis auctoribus („ὡς αὐτοὶ λέγουσι"). — Cum Syris (i. e. Leucosyris sive

92) Cf. Th. Chr. *Breigeri* Commentatio de difficilioribus quibusdam Asiae Herodoteae. Gotting. 1793. 4°. pag. 20.

Cappadocibus cf. I. 72.) tum *Parthenium* fluvium accolentibus, qui in confinio Bithyniae et Paphlagoniae Ponto infertur, tum iis, qui circa *Thermodontem* sedes habebant, cuius ostia non procul absunt a Themiscyra urbe; item cum *Macronibus*, gente huius orae extrema, ad Colchorum usque fines porrecta (v. Xenoph. Anab. IV. 7 et 8.) collocutum Nostrum esse, satis perspicue ipse indicat II. 104. hisce verbis: Σύριοι δὲ οἱ περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον ποταμὸν, καὶ Μάκρωνες οἱ τούτοισι ἀστυγείτονες ἔόντες ἀπὸ Κόλχων φασὶ νεωστὶ μεμαθηκέναι (τὸ περισάμινεσθαι τὰ αἰδοῖα scil.). Praeterea *Sinopen* urbem ipsi spectatam fuisse, ex II. 34, *Themiscyram* ex IV. 86. facile colligas; neque *Halyn* fluvium dubitaveris an viderit, qui diligenter, quo ille cursu feratur exponat I. 72. — Omnino *Graecos Ponticos* (Ἑλλήνων τοὺς τὸν Πόντον οἰκέοντας) auctores citat narrationis cuiusdam fabulosae de Scytharum origine IV. 8. init. et IV. 10. extr.; ubi tamen eos potissimum Graecos innuere videtur, qui septentrionalem et occidentalem Ponti oram incolebant.

Interiora Asiae minoris oramque eius terrae meridionalem ab ipso historico nostro paragrata fuisse, minus quidem frequentia ac manifesta indicant vestigia. Tamen neque de hoc dubitare licet respicienti iter a Sardibus inde ad Susa per *Phrygiam*, *Cappadociam*, *Giliciam* etc. ferens accurate dimensum ac descriptum V. 52. Accedit huc illud quoque iter (VII. 26.) quo Xerxis copiae incedebant ex *Critalis* (Cappadociae oppido, ab solo Herodoto memorato).

transmisso fluvio *Haly*, per *Phrygiam Celaenas*que urbem, ubi fontes Maeandri et Catarractae fluviorum; indeque (cap. 30.) praeter *Anaua* per *Colossas*, ubi Lycus fluvius terra hauritur, ad *Cydrara*, ubi cippus a Croeso erectus Phrygiae et Lydiae fines indicabat. — *Ciliciam* τὴν ὀρεινὴν Aegypto fere ex adverso esse sitam, atque ex illa terra recta ad Sinopen quinque dierum esse iter viro expedito, refert II. 34; item I. 176. *Lyciae* incolarum quotquot *Xanthii* se ferrent advenas esse, praeter octoginta familias, quae forte, urbe illa incendio absumta, ipsisque in pugna caesis, absentes fuerint.

Cretenses, quorum insulam non ad Europam esse referendam innuit IV. 45 fin., testes generatim citat I. 171. in re supra (p. 87.) memorata; *Praesios* speciatim VII. 171; *Cydoniam*que urbem a Samiis conditam (III. 59. cf. III. 44.) se ipsum adiisse haud obscure significat additis his verbis: ὥστε τὰ ἱρὰ τὰ ἐν Κυδωνίῃ ἐόντα νῦν οὗτοί (οἱ Σάμιοι sc.) εἰσι οἱ ποιήσαντες, καὶ τὸν τῆς Δικτύνης νηόν.

Cyprum quoque insulam ab ipso visitatam fuisse, suadent hi maxime loci: I. 199 extr., ubi, lege quadam Babyloniorum turpissima, ad Mylittae (i. e. Veneris Assyriae) cultum spectante, enarrata, deinceps addit: ἐνιαχῇ δὲ καὶ τῆς Κύπρου ἐστὶ παραπλήσιος τούτῳ νόμος· II. 79, ubi antiquissimum carmen, quod in Phoenice et *Cypro* aliisque locis decantatum, Graecis *Linus* vocabatur, apud Aegyptios quoque usurpari refert. Imprimis vero memorandi hi loci: VII. 90, ubi varias *Cypriorum* gentes enumerat, eorum-

que originem indicat, ipsis Cypriis auctoribus („ὡς αὐτοὶ Κύπριοι λέγουσι"); et I. 105, ubi eorundem testimonio utens Veneris Uraniae apud Cyprios cultum e Syria allatum esse auctor est. Denique V. 114. Salaminium Onesilum in *Amathuntis* obsidione occisum ab Amathusiis oraculi iussu ut heroem coli sua adhuc memoria („τὸ μέχρις ἐμεῦ") refert.

Pergimus nunc ad eam oram, quae porrigitur inter Ciliciam et Arabiae Aegyptique fines continetque *Syriam* cum *Phoenice* et *Palaestina*. Cuius regionis certe maximam partem nobilissimasque urbes vidit Herodotus, id quod planissimis ipsius docemur indiciis. Cum *Phoenicibus* quidem, populo navigationi prae omnibus dedito, etiamsi nunquam eorum terrae pedem intulit, crebro sermonem conferre potuit. V. I. 2. 5. II. 104. (Φοίνικες δὲ καὶ Σύροι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι scil. τὸ περιτάμνεσθαι τὰ αἰδοῖα). VII. 89. (οὗτοι δὲ οἱ Φοίνικες τοπαλαιὸν οἴκεον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, ἐπὶ τῇ Ἐρυθρῇ θαλάσσῃ.). Potuit etiam navigia Phoenicum alibi intueri (III. 37.); carmenque illud, quod Linum Graeci vocabant, etiam a Phoenicibus decantari (II. 79.) aliunde compertum habere. At, his omnibus missis factis, exstat locus, ubi disertis verbis *Tyrum* se navigasse ait: II. 44. „Καὶ θέλων δὲ τούτων πέρι (scil. an vere extranei Dei Herculis antiquior cultus sit, quam Graeci herois) σαφές τι εἰδέναι ἐξ ὧν οἷόν τε ἦν, ἔπλευσα καὶ ἐς Τύρον τῆς Φοινίκης πυνθανόμενος αὐτόθι

εἶναι ἱρὸν Ἡρακλέος ἅγιον· καὶ ἴδεν πλουσίως κατεσκευασμένον κ. τ. λ. — Item in prómptu est alius locus, quo non minus aperte affirmat, in Palaestina se affuisse: II. 106: τὰς δὲ στήλας τὰς ἴστα κατὰ τὰς χώρας ὁ Αἰγύπτου βασιλεὺς Σέσωστρις, αἱ μὲν πλεῦνες οὐκέτι φαίνονται περιεοῦσαι· ἐν δὲ τῇ Παλαιστίνῃ Συρίῃ αὐτὸς ὄρεον ἐούσας κ. τ. λ. Quae ubi reputaveris, nec id dubitabis, quin et *Ascalona* urbem, cuius aedem Veneri Uraniae sacratam memorat I. 105, et *Azotum*, quam τῆς Συρίης μεγάλην πόλιν vocat II. 157, ipse adierit.

Vidit praeterea Syriae vel potius Palaestinae urbem *Cadytin*, cuius praeter Herodotum nemo, quod sciam, veterum mentionem facit. De qua quum magna nec adhuc diremta Virorum Doctorum vigeat contentio, liceat mihi quoque quid videatur obiter hic proferre. Atqui illius urbis bis Noster meminit: primum II. 159. hisce verbis: καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε· μετὰ δὲ τὴν μάχην Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε· iterum III. 5: ἀπὸ γὰρ Φοινίκης μέχρι οὔρων τῶν Κάδυτιος πόλιος γῆ ἐστὶ Σύρων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων· ἀπὸ δὲ Κάδυτιος, ἐούσης πόλιος, ὡς ἐμοὶ δοκέει, Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος, ἀπὸ ταύτης τὰ ἐμπόρια τὰ ἐπὶ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιός ἐστι τοῦ Ἀραβίου· ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου αὖτις Σύρων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης, παρ' ἣν δὴ τὸ Κάσιον ὄρος τείνει ἐς θάλασσαν· κ. τ. λ. Intelligitur ex istis Nostri verbis, fuisse Cadytin urbem magnam atque conspicuam, haud procul a littore remotam (alioquin enim non ab hac

urbe orsus esset, de emporiis secundum mare usque ad urbem Ienysum loquens), eandemque circa fines Palaestinae australes sitam[93]), et ab Aegyptiorum rege Neco olim expugnatam. — Quae quum ita sint, neque iis VV. DD. assentiar, qui *Hierosolyma* significari arbitrantur[94]), nec cum aliis aut *Kades*[95]), aut *Gath*[96]) intelligendum esse putaverim. *Hierosolyma* enim et a mari et a finibus Palaestinae nimis remota sunt, neque ipsam hanc urbem captam fuisse a rege Neco, loco, quem afferunt, sacrae scripturae (Reg. II. c. 23. v. 33. 34.) satis probatur. Multo vero minus in *Kades*, exiguum oppidum in Galilaea superiori, quod Kedasa vocat Iosephus[97]) nec procul ponit a Tyro, cadere possunt Herodoti verba. Veri similior quidem est Relandi opinio; at neque *Gath*, Herodoti certe tempore, dici potuit πόλις μεγάλη, quam *Amos* iam propheta (cap. 6. v. 2.) desertam esse urbem innuit; quo accedit, quod ea urbs neque

93) Cf. Herodot. VII. 89: — „τῆς δὲ Συρίης τοῦτο τὸ χωρίον καὶ τὸ μέχρι Αἰγύπτου πᾶν Παλαιστίνη καλέεται" ubi terminum Palaestinae australem definiens, negligit tractum illum, quem Arabicis emporiis occupatum dixerat III. 5.

94) Sic *D'Anville:* Géogr. anc. abrég. Tom. II. p. 60., *Larcher:* Tabl. géogr. v. Cadytis; et nuper *Dahlmann.* l. l. p. 75.

95) V. *Des Vignoles Chronol. de l'hist. sainte*, Lib. IV. cap. 3. p. 141. *Klöden: Alterthümer des Israelit. Volkes. Berlin* 1817. p. 317.

96) *Relandi* Palaest. p. 668 et 669, citante Larchero.

97) Locos v. apud Larcher. l. l.

in littore sita est, neque a rege Neco occupatam eam esse aliunde constat. — Ego *Gazam* intellexerim, quam opinionem primus protulit Isaak *Toussaint* in Dissertatione *de Cadyti Herodotea*, cuius mentionem factam invenio apud Larcher. l. l., quam tamen ipsam inspicere mihi non contigit. Fuit enim *Gaza* urbs satis nobilis, („ingentem et munitam admodum" vocat Pompon. Mela I. 11.) ex omnibus Philistinorum urbibus maxime versus meridiem sita atque prope mare; eandemque a rege Neco fuisse expugnatam, satis aperte docet *Ierem.* proph. cap. 47. v. 1 et 5. — Quamquam etiam hanc nostram opinionem nonnullis difficultatibus laborare, non me fugit. Refert enim Herodotus II. 157., *Azotum* a Psammitticho, Necus patre, esse captam; quae urbs quum supra Gazam septentrionem versus sita sit, parum probabile est, regionem propius Aegyptum sitam neglectam ab eodem Psammitticho fuisse. Accedit, quod III. 5. emporia inter Cadytin et Ienysum Arabum fuisse, auctor est Herodotus. Iam vero in exiguo hoc orae tractu nullum novimus emporium memoratu dignum.

Proxima Asiae terra a Syria et Palaestina meridiem versus procedenti est *Arabia*. Cuius interiora quidem ab ipso Nostro non visitata esse, ex illis quae III. 107 — 113. de Arabiae bonis et memorabilibus fabulosa[98]) pleraque refert, facile patet. Omnia enim ut

98) Falsa esse, quae narrat Herodotus de cinnamomo et casia (c. 110. 111.) deque halitu quodam suavissimo ex tota pen-

ut e traditione petita, non ab ipso spectata narrat. Collocutum autem fuisse cum ipsis ex illa gente hominibus, a quibus sane imponi sibi passus est, non obscure significat III. 108. init. verbis: „λέγουσι δὲ καὶ τόδε Ἀράβιοι κ. τ. λ. 111. init.: — „οὐκ ἔχουσι εἰπεῖν· et mox ibidem: ὄρνιθας δὲ λέγουσι μεγάλας φορέειν ταῦτα τὰ κάρφεα κ. τ. λ.· item II. 75 extr.: καὶ τὴν ἶβιν διὰ τοῦτο τὸ ἔργον τετιμῆσθαι λέγουσι Ἀράβιοι μεγάλως πρὸς Αἰγυπτίων. Potuit in sermonem cum illis venire iter faciens e Palaestina terra in Aegyptum per Arabiae petraeae regionem septentrionalem, quam viam ipse describit III. 5.[99]); potuit etiam, si non pedestri itinere ex Asia, sed navi e Graeciae quovis portu in Aegyptum advectus erat[100]); inde contiguam etiam Arabiam visitare, id quod se fecisse disertis verbis ipse prodit II. 75 init.: Ἔστι δὲ χῶρος τῆς Ἀραβίης κατὰ Βουτοῦν πόλιν μαλιστά κη κείμενος· καὶ ἐς τοῦτο τὸ χωρίον ἦλθον πυθόμενος περὶ τῶν πτερωτῶν ὀφίων. Atqui eo ex Aegypto

insula exsistente (c. 113.), *Plinius* (H. N. XII. 42.) arguit, item quae de lenonarum partu docet (c. 108.) *Gellius* N. A. XIII. 7, Aristotele auctore, refellit. Cf. Dahlmann. p. 71.

99) Ea in Aegyptum venisse Herodotum putat *Wesseling.* Praef. p. V. ed. Gaisf.

100) Navi vectum in Aegyptum Nostrum venisse, vel eo fit verisimilius, quod scribit III. 6 init.: τὸ δὲ ὀλίγοι τῶν ἐς Αἴγυπτον ναυτιλλομένων ἐνενώκασι, τοῦτο ἔρχομαι φράσων· et II. 5.: ὅτι Αἴγυπτος, ἐς τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται, ἔστι Αἰγυπτίοισι ἐπίκτητός τε γῆ κ. τ. λ. in quibus ναυτίλλεσθαι dicit omnino pro πορεύεσθαι, seque iis, qui navigaverant in istam terram, videtur annumerare.

in littore sita est, neque a rege Neco occupatam eam esse aliunde constat. — Ego *Gazam* intellexerim, quam opinionem primus protulit Isaak *Toussaint* in Dissertatione *de Cadyti Herodotea*, cuius mentionem factam invenio apud Larcher. l. l., quam tamen ipsam inspicere mihi non contigit. Fuit enim *Gaza* urbs satis nobilis, („ingentem et munitam admodum" vocat Pompon. Mela I. 11.) ex omnibus Philistinorum urbibus maxime versus meridiem sita atque prope mare; eandemque a rege Neco fuisse expugnatam, satis aperte docet *Ierem.* proph. cap. 47. v. 1 et 5. — Quamquam etiam hanc nostram opinionem nonnullis difficultatibus laborare, non me fugit. Refert enim Herodotus II. 157., *Azotum* a Psammitticho, Necus patre, esse captam; quae urbs quum supra Gazam septentrionem versus sita sit, parum probabile est, regionem propius Aegyptum sitam neglectam ab eodem Psammitticho fuisse. Accedit, quod III. 5. emporia inter Cadytin et Ienysum Arabum fuisse, auctor est Herodotus. Iam vero in exiguo hoc orae tractu nullum novimus emporium memoratu dignum.

Proxima Asiae terra a Syria et Palaestina meridiem versus procedenti est *Arabia*. Cuius interiora quidem ab ipso Nostro non visitata esse, ex illis quae III. 107 — 113. de Arabiae bonis et memorabilibus fabulosa[98]) pleraque refert, facile patet. Omnia enim ut

98) Falsa esse, quae narrat Herodotus de cinnamomo et casia (c. 110. 111.) deque halitu quodam suavissimo ex tota pen-

ut e traditione petita, non ab ipso spectata narrat. Collocutum autem fuisse cum ipsis ex illa gente hominibus, a quibus sane imponi sibi passus est, non obscure significat III. 108. init. verbis: „λέγουσι δὲ καὶ τόδε Ἀράβιοι κ. τ. λ. 111. init.: — „οὐκ ἔχουσι εἰπεῖν· et mox ibidem: ὄρνιθας δὲ λέγουσι μεγάλας φορέειν ταῦτα τὰ κάρφεα κ. τ. λ.· item II. 75 extr.: καὶ τὴν ἶβιν διὰ τοῦτο τὸ ἔργον τετιμῆσθαι λέγουσι Ἀράβιοι μεγάλως πρὸς Αἰγυπτίων. Potuit in sermonem cum illis venire iter faciens e Palaestina terra in Aegyptum per Arabiae petraeae regionem septentrionalem, quam viam ipse describit III. 5.[99]); potuit etiam, si non pedestri itinere ex Asia, sed navi e Graeciae quovis portu in Aegyptum advectus erat[100]), inde contiguam etiam Arabiam visitare, id quod se fecisse disertis verbis ipse prodit II. 75 init.: Ἔστι δὲ χῶρος τῆς Ἀραβίης κατὰ Βουτοῦν πόλιν μαλιστά κη κείμενος· καὶ ἐς τοῦτο τὸ χωρίον ἦλθον πυθόμενος περὶ τῶν πτερωτῶν ὀφίων. Atqui eo ex Aegypto

insula exsistente (c. 113.), *Plinius* (H. N. XII. 42.) arguit, item quae de lenonarum partu docet (c. 108.) *Gellius* N. A. XIII. 7, Aristotele auctore, refellit. Cf. Dahlmann. p. 71.

99) Ea in Aegyptum venisse Herodotum putat *Wesseling.* Praef. p. V. ed. Gaisf.

100) Navi vectum in Aegyptum Nostrum venisse, vel eo fit verisimilius, quod scribit III. 6 init.: τὸ δὲ ὀλίγοι τῶν ἐς Αἴγυπτον ναυτιλλομένων ἐνενώκασι, τοῦτο ἔρχομαι φράσων· et II. 5.: ὅτι Αἴγυπτος, ἐς τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται, ἔστι Αἰγυπτίοισι ἐπίκτητός τε γῆ κ. τ. λ. in quibus ναυτίλλεσθαι dicit omnino pro πορεύεσθαι, seque iis, qui navigaverant in istam terram, videtur annumerare.

profectum esse viatorem, totius narrationis illius contextus suadet.[101]) — Fortasse et ipse vidit in illis Arabiae regionibus Arabum in foedere faciendo ritus, quos accurate describit III. 8.

Ad *interioris* iam *Asiae* terras et populos pergentes, qui tunc temporis, quatenus ea orbis pars in notitiam hominum venerat, omnes Persicae erant ditionis, primum eos Nostri locos lectoris oculis subiiciemus, quibus in universum probetur, non modo frequentes cum Persis sermones eum iniisse, sed etiam ipsorum terras peragrasse, domiciliaque inspexisse intentum terrarum hominumque investigatorem. Satrapiarum Persicarum descriptionem edit III. 89 sqq. Testes citat Persas in narratione quadam de Indis fabulosa III. 105; eorundem testimonio utitur in enarrando Xerxis quodam somnio VII. 12; et VIII. 98, ubi de Persarum nuntiis sive angariis loquitur. Persicae linguae voces quasdam aliquoties affert, v. c. VIII. 85 fin. IX. 110 med. — In enarrandis denique Persarum moribus, ritibus, victu omnique vitae cultu ac ratione I. 131—140. ea utitur cura et diligentia, tamque aperte se probe scire ista affirmat (c. 131 init. Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοισῖδε χρεωμένους· c. 140 init. ταῦτα μὲν ἀτρεκέως ἔχω περὶ αὐτῶν εἰδὼς εἰπεῖν), ut dubitari nequeat, quin proprio adspectu pleraque illa comperta habuerit, etiamsi non ipse (c. 140.) morem quendam in sepultura a Magis exerceri solitum suis oculis se vidisse innuat.

101) Cf. Dahlmann. p. 70.

Singulas terras, *Mesopotamiam, Assyriam, Mediam,* sine ullo dubio invisit Herodotus. Quamquam Assyriam an unquam tetigerit, nonnulli VV. DD. olim in dubitationem vocaverunt, inter quos est *Des Vignoles*[102]), quem satis refellerunt *Bouherius* (*Recherches et Dissert. sur Hérod.* cap. 1. p. 4.), *Wesselingius* (Praef. p. XX sq. ed. Schweigh. p. V. ed. Gaisf.) et *Larcherus* (l. l. p. LXXV sq.). — Totam viam regiam Sardibus Susa ferentem probe cognitam sibi habuisse ostendit V. 52—54, eandemque et ipse secutus esse videtur.[103]) *Assyriam* sive Babyloniam terram intentis oculis et auribus peragrasse, aperte suadent, quae I. 193—200 de terrae natura et bonis, summa agri fertilitate, navium onerariarum structura ac rectione, porro de vestitu, victu omnique cultu, deque legibus et moribus incolarum diligentissime exponit. Memorabilis imprimis locus est de soli ubertate cap. 193: ἐκ δὲ κέγχρου καὶ σησάμου ὅσον τε δένδρον μέγαθος γίνεται ἐξεπιστάμενος μνήμην οὐ ποιήσομαι· εὖ εἰδὼς, ὅτι τοῖσι μὴ ἀπιγμένοισι ἐς τὴν Βαβυλωνίην χώρην, καὶ τὰ εἰρημένα καρπῶν ἐχόμενα ἐς ἀπιστίην πολλὴν ἀπίκται· quae non nisi testem oculatum scribere potuisse, quis non videt? — Idem evincunt cum *Chaldaeis*, Babyloniorum sacerdotibus, conserta colloquia I. 181. 182. 183, quos patriae fines ea tempestate superasse vix cre-

102) *Chronologie de l'hist. sainte.* Lib. IV. c. 4. §. 5. p. 182.; item lib. VI. cap. 3. §. 10. p. 646.

103) Cf. Dahlmann. p. 76. 77.

dibile est. — Caput ipsum regionis, *Babylonem* urbem, an viserit, minime ambiguum videbitur considerranti accuratam illius urbis delineationem I. 178 sqq., praesertim comparanti hosce inter se locos: cap. 181: ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ (φάρσει sc.) Διὸς Βήλου ἱρὸν χαλκόπυλον, καὶ ἐς ἐμὲ τοῦτο ἔστι ἐὸν κ. τ. λ. et cap. 183. ἦν δὲ ἐν τῷ τεμένεϊ τούτῳ ἔτι τὸν χρόνον ἐκεῖνον (i. e. Cyri aetate) καὶ ἀνδριὰς δυώδεκα πήχεων, χρύσεος στερεός· ἐγὼ μέν μιν οὐκ εἶδον· τὰ δὲ λέγεται ὑπὸ Χαλδαίων, ταῦτα λέγω. — Ξέρξης δὲ ὁ Δαρείου ἔλαβε, καὶ τὸν ἱρέα ἀπέκτεινε. — An vero usque ad *Susa*, regiam Persarum sedem, penetraverit, in dubio manet; nunquam enim consulto de hac urbe agit, neque quidquam affert, unde affuisse eum coniiciamus. Quamquam res per se probabilis eo fit verisimilior, quod in loco quodam Cissiae, nomine *Ardericca*, affuisse putandus est, quem scribit VI. 119. ducentis tantummodo et decem stadiis a Susis remotum esse. Eo vero ipsum venisse duo sunt, quae fidem faciant: primum putei cuiusdam memorabilis iuxta Ardericcam siti accurata descriptio; deinde quae de Eretriis a Dario captis atque in illum locum habitandum deductis refert scribens l. l. sub fin. cap.: ἐνθαῦτα τοὺς Ἐρετριέας κατοίκισε βασιλεὺς Δαρεῖος, οἳ καὶ μέχρι ἐμέο εἶχον τὴν χώρην ταύτην, φυλάσσοντες τὴν ἀρχαίην γλῶσσαν.[104])

Mediae situm obiter quidem, sed tamquam ipsi sibi compertum describit I. 110, ubi vocem quoque

104) Cf. Dahlmann. p. 77 sq.

quandam Medicam affert; idem III. 106 Medicorum equorum, qui Nisaei vocantur, laudat praestantiam. Urbem *Ecbatana* spectatam habuisse, quum omnino moenium diligens descriptio, tum maxime amplitudinis eius cum Athenis comparatio probat. I. 98: τὸ δὲ αὐτῶν μέγιστόν ἐστι τεῖχος κατὰ τὸν Ἀθηνέων κύκλον μάλιστά κη τὸ μέγαθος.

Ultra Mediam et Susianam orientem versus pedes Nostrum non tulisse, pro certo potest haberi. Itaque neque *Ariam*, nec *Bactriam* (III. 102.), nec *Carmaniam* aut *Gedrosiam* adiit, ut taceam *Pactyicen* regionem in eaque urbem *Caspatyrum* (III. 102. cf. IV. 44.), quam terram ripae Indi fluvii occidentali adiacuisse, probat Larcherus (*Table Géogr.* i. v. Pactyice). Universam *Indiam* plane incognitam terram ei fuisse, si demonstrare operae pretium est, argumentis sane non destituimur. Inspicias modo Indiae descriptionem morumque Indicorum enarrationem, quae continetur lib. III. capp. 98—105, ut huiuscemodi verbis: — „τῶν γὰρ ἡμεῖς ἴδμεν, τῶν καὶ πέρι ἀτρεκές τι λέγεται (c. 98.), — νόμοισι δὲ τοισίδε λέγονται χρᾶσθαι (c. 99.), — ὡς δὴ λέγεται ὑπὸ Περσέων (c. 105.)" plane tibi persuadeas, ista omnia partim fabulosa e Persarum narrationibus, non e proprio auctoris adspectu deprompta esse.

Haud minus perspicue, *Araxem* fluvium se non vidisse fatetur scribendo: I. 202 init.: ὁ δὲ Ἀράξης λέγεται καὶ μέζων καὶ ἐλάσσων εἶναι τοῦ Ἴστρου· νήσους δ' ἐν αὐτῷ Λέσβῳ μεγάθεα παραπλησίας συχνάς φασι εἶναι. Unde etiam orta est confusio illa duo-

rum eiusdem nominis fluviorum, quae magnopere viros doctos exercuit. Neque enim cum *Breigero*[105]) culpam eam in interpolatorem deferendo vindicare Herodotum ausim, quem in rebus non oculis sed auribus tantum perceptis nonnunquam errasse, quid mirum? — Attamen in eo quidem eidem assentior Breigero, quod *Oxum*, non *Volgam* (quae est Larcheri aliorumque opinio)[106]), Araxis nomine significari Nostro censet. In quem fluvium quum cetera omnia, quae apud Herodotum leguntur, optime quadrent, duo tamen loci manent, quibus hunc cum alio eiusdem nominis Armeniae fluvio confudisse putandus est: I. 202, ubi fontes Araxis in Matienis esse refert, et IV. 40, ubi eundem versus orientem fluere auctor est. — Etiam *Aces* fluvius (III. 117.) qui sit, similis est fluctuatio. *Ochum* esse intelligendum, probabile reddidit *Breigerus* (l. l. p. 66 sqq.). Ce-

105) In comment. de difficilior. Asiae Herodot. pag. 64.

106) *Larcher. table géogr.* i. v.; *Bayer:* Commentatt. Petropol. T. I. p. 394; *Bouhier: Diss. sur Herod.* cap. 18. Nuperrime isti sententiae accessit libri *Gregorii Dankowszky*, qui inscribitur: „*Fragmente zur Geschichte der Völker Ungarischer und Slawischer Zunge*", doctus censor in Annalibus litter. Heidelbergens. a. 1826. mens. Mai. p. 490 sqq. Fugit vero virum doctum, ea ratione, qua ut gravissimo utitur suae opinionis documento, maxime eandem labefactari. Quum videlicet vidisset, *Araxem* pro Asiae et Europae termino ab Herodoto haberi, id optime in *Volgam* cadere ei videbatur, non cogitanti, in ea terrae parte inter Pontum Euxinum et Caspium mare *Phasi* fluvio ex Herodoti sententia (IV. 45.) terminari Asiam, ut adeo omnia trans Caucasum septentrionem versus sita ad Europam pertineant.

terum Herodotum nec hunc fluvium, nec *Chorasmiorum* reliquarumque, quas ibidem nominat, gentium terras ipsum adiisse, nemo erit, qui dubitet.

Iam transgressi hac in parte itinerum Herodoti fines, simul ad ipsius *Asiae* tunc cognitae *terminum orientalem* pervenimus. Extrema enim in iis regionibus gens ea tempestate Indi innotuerant (Herod. III. 98.). Quorum tamen terram, quatenus fama iam tum nota erat, cavendum, ne nimis angustis finibus eircumscribamus, ut recte monet *Breigerus* (p. 77.). Idem Asiae Herodoteae in hac parte fines desertum *Coby* (Herod. III. 98. IV. 40.) et *Gangem* fluvium verisimiliter statuit; ita tamen, ut ipsum Gangem Herodoto nondum notum fuisse existimet (nusquam enim eius mentionem facit), neque omnis peninsulae citra Gangem sitae australem ac maritimam regionem ei innotuisse.

Pro *australi Asiae limite*, ut est, ita habuit Herodotus *mare Indicum* sive *Rubrum*: τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν· v. IV. 39. 40. Hoc enim nomine non solum, ut nos consuevimus, *sinum Arabicum* (Ἀράβιον κόλπον II. 11. 158. 159. IV. 39. 42.), sed totum Indicum quod hodie vocamus mare, una cum sinu Arabico et Persico, insigniebat (I. 202 extr. II. 11. 102. III. 93. VII. 80. 89.); quamquam idem interdum etiam τὴν νοτίην θάλασσαν appellat (III. 17. IV. 37: νοτίην θάλασσαν, τὴν Ἐρυθρὴν καλεομένην); alibi autem sinum Arabicum *maris Rubri* nomine significat (II. 8. 158. IV. 41.), atque τὴν Ἐρυθρὴν et νοτίην θάλασσαν distinguit IV. 42. — *Persicum* vero *sinum*

nusquam singulari quodam, sed ubique communi τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης nomine vocat (I. 180. 189. III. 30.); unde recte mihi videor coniecturam facere, in hoc sinu non navigasse Herodotum[107]), neque omnino Indici maris oram accuratius perspectam habuisse, quin fortasse ne attigisse quidem, nisi forte Susis intimum Persici sinus recessum conspexit. Arabicum autem sinum non modo vidisse, sed etiam in eo navigasse Nostrum dubitari nequit. V. locos modo citatos, maxime II. 159. et II. 11.

Septentrionem versus Asiam terminat Herodotus *Phasi* fluvio IV. 45. cf. IV. 38. 47. (v. supra p. 86.), eandemque fuisse potissimam suae aetatis atque omnino antiquiorum geographorum sententiam, cum ipse Herodotus l. l., tum recentiorum testimonia docent.[108]) Vidit autem Herodotus hunc fluvium *Colchorum*que terram, ut ipse auctor est II. 104: φαίνονται μὲν γὰρ ἐόντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι· νοήσας δὲ πρότερον αὐτὸς ἢ ἀκούσας ἄλλων, λέγω· ὡς δέ μοι ἐν φροντίδι ἐγένετο, εἰρόμην ἀμφοτέρους· καὶ μᾶλλον οἱ Κόλχοι ἐμεμνέατο τῶν Αἰγυπτίων, ἢ οἱ Αἰγύπτιοι τῶν Κόλχων κ. τ. λ.

---

107) *Breiger.* l. l. p. 9 quibus caussis adductus contrarium censeat, ignoro.

108) *Agathemer.* I. cap. 1. Ἀσίας δὲ καὶ Εὐρώπης ὅρον οἱ μὲν ἀρχαῖοι λέγουσι Φᾶσιν ποταμὸν καὶ τὸν ἕως Κασπίας ἰσθμόν· οἱ δὲ ὕστεροι Μαιῶτιν λίμνην καὶ Τάναϊν ποταμόν. Cf. *Dionys. Perieg.* v. 19. ibique Eustath. — Eadem erat *Aeschyli* sententia, ut ex Prometheo licet coniicere, ubi in enarrandis Ius erroribus Caucasum aperte Europae adscribit v. 719 sqq. cf. 734 sq. Videsis praeterea *Arrian.* in Peripl. P. E. p. 19. Cf. *Breiger.* l. l. p. 72 sqq.

cf. II. 105. IV. 86.[109]) — Ultra Phasin et Colchida non processisse videtur Herodotus; in *Caucasum* igitur montem, qui ex eius sententia aut in finibus Asiae et Europae situs (II. 97. cf. 88.)[110]), aut iam Europae accensendus est, ipse non penetravit; id quod satis clare significat scribendo I. 203: ἔθνεα δὲ ἀνθρώπων πολλὰ καὶ παντοῖα ἐν ἐωυτῷ ἔχει ὁ Καύκασος, τὰ πολλὰ πάντα ἀπ' ὕλης ἀγρίης ζώοντα· ἐν τοῖσι καὶ δένδρεα φύλλα τοιῆςδε ἰδέης παρεχόμενα εἶναι λέγεται κ. τ. λ. — — μίξιν τε τούτων τῶν ἀνθρώπων εἶναι ἐμφανέα, καπάπερ τοῖσι προβάτοισι.

Reliquum septentrionalem Asiae finem constituunt ex Herodoti sententia *Caspium mare* et *Araxes Massagèticus*. Hoc tam probe demonstravit *Breigerus* (l. l. p. 74 sqq.)[111]), ut acta agerem, si eam quaestionem denuo tractarem, praesertim alienam a nostro proposito, ex quo non omnino de geographia Herodoti, sed de ipsius itineribus inquirimus. Totum vero illum septentrionalem terrae tractum, quem nos hodie Asiae addimus, Herodotus ad Europam referebat, (quae orbis pars super omnem Libyam et Asiam ei extenditur)[112]), plane invisum

109) Cf. *Larcher*. l. l. p. LXXVI.

110) Cf. *Breiger*. l. l. p. 74.

111) Gravissimi, quibus haec orbis partitio probatur, Herodoti loci sunt: IV. 40. I. 130. (ubi Cyrum, devictis Medis, omni Asiae imperasse dicit. cf. I. 95.) IV. 42. 45.

112) IV. 42.: μήκεϊ μὲν γὰρ παρ' ἀμφοτέρας παρήκει ἡ Εὐρώπη.

ipsi nec nisi narrationibus cognitum fuisse, nemo dubitet, quicunque legit, quae de *Massagetis*, *Issedonibus*, *Arimaspis*, *Hyperboreis* reliquisque gentibus a Scythis versus orientem et septentrionem habitantibus, magnam partem fabulosa, omnino vero ut tradita, non spectata sibi, refert.[113])

Caspii maris littora adiisse, nedum per illud navigasse Nostrum, aegre crediderim, quem ullam earum gentium, quae proxime hoc mare cingebant, adiisse, nullis certis indiciis docemur. Sunt tamen nonnulla, quae ambiguam hanc rem efficiant: tum quod primus veriora eodem de mari refert, quam alii ante, quin multi post eum, scribens I. 202 fin. (cf. 203.): ἡ δὲ Κασπίη θάλασσα ἔστι ἐπ' ἐωυτῆς, οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ κ. τ. λ., atque quod (ibid. 203.) maris dimensionem prodit; tum quod paullo post (c. 204.) eo utitur loquendi modo, quo scriptoris αὐτοψία videri possit probari. Dicit enim: τὰ δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα (τῆς Κασπίης θαλάσσης sc.), πεδίον ἐκδέκεται, πλῆθος ἄπειρον ἐς ὄψιν. Quas tamen rationes debiliores esse, quam quibus certa res fiat, nemo non videt. Existimo igitur cum *Breigero* (l. l. p. 33 sq.), Caspium mare aut omnino non, aut certe non omnem eius cir-

113) I. 201.: — τὸ δὲ ἔθνος τοῦτο (Massagetae sc.) καὶ μέγα λέγεται εἶναι καὶ ἄλκιμον etc. IV. 7. τὰ δὲ καταπέρθε πρὸς βορῆν λέγουσι (Σκύθαι sc.) ἄνεμον τῶν ὑπεροίκων τῆς χώρης, οὐκ οἷά τε εἶναι ἔτι προσωτέρω οὔτε ὁρᾶν, οὔτε διεξιέναι, ὑπὸ πτερῶν κεχυμένων κ. τ. λ. — Plura de his vide infra 3. *Europa*.

cuitum, minime vero borealem partem Nostro visam fuisse.

Occidentales Asiae fines, quibus ea orbis pars ab Europa secernitur, quum ipsa terrarum ac marium discindentium natura satis constituti sint, iidemque et veteribus et nobis habeantur: superest tantummodo, ut limitem eum quaeramus, quo *Asiam a Libya* sive Africa ex Herodoti mente seiungamus. In quo definiendo tam acute et diligenter versatus est *Breigerus* (l. l. p. 78 sqq.), ut, disquisitione de integro instituenda supersedentes, summa eius disputationis capita repetiisse satis habeamus. Primum igitur vulgarem suae aetatis eamque ab Ionibus profectam sententiam, ex qua Nilus secernere Asiam et Libyam putabatur, quamvis adoptare videatur IV. 45, tamen refellit alio loco: II. 15. Ipse vero alium Asiae et Libyae finem nullum agnoscit, nisi ipsos Aegypti fines, omnemque illam terram Aegyptum nominat, quae ab Aegyptiis habitatur (II. 17.). Utros autem Aegypti fines, orientales, an occidentales, intelligat, nec eo, nec ullo alio loco addit. Itaque tota quaestio in eo versatur, *Asiaene, an Libyae assignanda sit Aegyptus*. Posterius probabunt hi ce loci sedulo inter se collati: IV. 39. 41. (coll. II. 158.) 42. I. 130. (ubi Cyrus omni Asiae imperasse dicitur, licet Aegyptum nunquam subegerit). Quod sicubi apud Nostrum *Libya* et *Aegyptus* tamquam diversae terrae distinguuntur (II. 18. 30. III. 91.), ibi arctiori sensu illam Africae partem, quae etiam posthac Libyae nomine solebat insigniri, significat

auctor. Similiter etiam II. 15. Libyam non univer sae Asiae, sed Arabiae opponit, atque Aethiopes diversos a Libyae incolis nominat VII. 69. 71, licet eosdem VII. 70. e Libyà venisse dicat. E quibus apparet, duplici nec arcte definiendo eum sensu Libyae nomen usurpasse, ut fere facit etiam in aliis, v. c. mari Rubro (p. 103.), Hellesponto (p. 90.) etc. — Iam orientales Aegypti fines sunt *mons Casius* et *lacus Serbonis* (II. 6. 158. III. 5.); iidem igitur ex Nostri mente etiam Asiam ab Africa seiungunt.

2. *Africa.*

Hinc ad Africam, vel ex ipsius Nostri denominatione *Libyam*, venimus, primamque ibi *Aegyptum* contemplabimur. Quam terram universam Herodoto penitusque fuisse exploratam, quamquam totus secundus liber clamet vixque opus sit probato, tamen, ne quid ad propositum nostrum pertinens neglexisse videamur, paucis potissimos certe eos locos afferemus, quibus res omni dubitatione eximitur. — Atque primum universae terrae descriptio accurataque dimensio, quam instituit II. 5 sqq., multis nec obscuris indiciis declarat, totam fere Aegyptum peragrasse Herodotum. Idem probatur morum, rituum, victus Aegyptiorum enarratione II. 35 sqq. cf. 122, ubi de festo quodam Cereris et ritu in eo obtinenti: „τὴν καὶ ἐγὼ οἶδα καὶ ἐς ἐμὲ ἐπιτελέοντας αὐτούς." Adde Aegyptiorum septem genera (*castas* quas vocamus) eorumque nomos enumeratos c. 164 sqq. Crebros cum indigenis Aegypti incolis habitos ser-

mones testificatur II. 3. 15. 19. 54. 55. 100. 102. 107 sqq. 113. 116. 118. 120. 130. 142. 147 (ὅσα δὲ οἵ τε ἄλλοι ἄνθρωποι καὶ Αἰγύπτιοι λέγουσι ὁμολογέοντες τοῖσι ἄλλοισι κατὰ ταύτην τὴν χώρην γενέσθαι, ταῦτ' ἤδη φράσω· προσέσται δέ τι αὐτοῖσι καὶ τῆς ἐμῆς ὄψιος). 150. — Linguae tamen Aegyptiacae imperitum fuisse, pro certo habendum est, quem videmus interprete usum fuisse II. 125. (ὡς ἐμὲ εὖ μεμνῆσθαι τὰ ὁ ἑρμηνεύς μοι, ἐπιλεγόμενος τὰ γράμματα, ἔφη)[114]), quales interpretes ex quo inde tempore exstiterint, quaque ratione linguam Graecam edocti sint, ipse nobis auctor est II. 154.

Iam ad singula Aegypti loca pergentes ab oriente et septentrione versus occidentem ac meridiem iusto ordine procedemus. Primum igitur in ipso orientali Aegypti termino situm *montem Casium paludemque Serbonida* adiisse viatorem, vix dubium manet collatis locis hisce: II. 6. 158. III. 5. — Omnino *Delta* quae vocatur Aegypti pars ipsi perspecta fuit: II. 15: „ἤδη γάρ σφι τό γε Δέλτα, ὡς αὐτοὶ λέγουσι Αἰγύπτιοι, καὶ ἐμοὶ δοκέει, ἔστι καταῤῥυτόν τε καὶ νεωστὶ ἀναπεφηνός. Totum *Nili* cursum accurate persequitur II. 17, inundationumque rationem, ut ipse spectator, explanat caussasque indagat 19 sqq. — Affuisse se *Pelusii* ad ostium Nili orientale in eo campo, quo Psammenitus et Cambyses acie decreverant, aperte dicit III. 12.: θωῦμα δὲ μέγα εἶδον πυθόμενος παρὰ τῶν ἐγχωρίων κ. τ. λ. et in fine capitis: ταῦτα μέν

114) Cf. Dahlmann. p. 64 sq.

ἦν τοιαῦτα ἐόντα εἶδον· εἶδον δὲ καὶ ἄλλα ὁμοῖα τούτοισι ἐν Παπρήμι, τῶν ἅμα Ἀχαιμένεϊ τῷ Δαρείου διαφθαρέντων ὑπὸ Ἰνάρω τοῦ Λίβυος. Eandem urbem *Papremin* etiam nominat II. 59; cuius quum situs sit dubius vixque accurate possit definiri, dubitari tamen nequit, quin in occidentali inferioris Aegypti parte posita fuerit.[115]) — Vidit urbem nomine *Buto*[116]), in septentrionali Aegypti littore ad lacum quendam sitam, atque in ipsa urbe Latonae templum admiratus est II. 155. (τὸ δέ μοι τῶν φανερῶν θωῦμα μέγιστον παρεχόμενον, φράσω κ. τ. λ.), in lacu insulam *Chemmin*, quam ab accolis natantem ferri obstupuit: II. 156: λέγεται δὲ ὑπ' Αἰγυπτίων αὕτη ἡ νῆσος εἶναι πλωτή· αὐτὸς μὲν ἔγωγε οὔτε πλέουσαν οὔτε κινηθεῖσαν εἶδον· τέθηπα δὲ ἀκούων, εἰ νῆσος ἀληθέως ἐστὶ πλωτή. In *Saï* urbe affuisse se, aliquoties ait, maxime II. 28: τοῦ δὲ Νείλου τὰς πηγὰς οὐδεὶς ὑπέσχετο εἰδέναι, εἰ μὴ ἐν Αἰγύπτῳ ἐν Σαϊ πόλι ὁ γραμματιστὴς τῶν ἱρῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίης κ. τ. λ. 130: αὕτη ὦν ἡ βοῦς γῇ οὐκ ἐπιρρέῃ, ἀλλ' ἔστι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν φανερή· ἐν Σάϊ μὲν πόλι ἐοῦσα κ. τ. λ. cf. 131: ταῦτα γὰρ ὦν καὶ ἡμεῖς ὡρέομεν κ. τ. λ. adde II. 175. — Attigit porro *Bubastin* urbem haud procul a Pelusiaca Nili parte, de qua scribit II. 137: ἐφηλέων δὲ καὶ ἑτέρων τασσομένων ἐν τῇ Αἰγύπτῳ πο-

115) Cf. Larcher: *Table géogr.* i. v.; Dahlmann. p. 69.

116) Cave confundas hanc urbem cum illa, qua se affuisse refert II. 75, quaeque extra Delta in Arabia petraea sita erat. (v. supra p. 97.)

λίων, ὡς ἐμοὶ δοκέει, μάλιστα μὲν Βουβάστι πόλι ἐξεχώσθη, ἐν τῇ καὶ ἱρὸν ἐστι Βουβάστιος ἀξιοκηγητότατον· μέζω μὲν γὰρ ἄλλα καὶ πολυδαπανώτερά ἐστι ἱρά· ἡδονῇ δ' ἰδέσθαι οὐδὲν τούτου μᾶλλον· quod sacrum diligenter depingit cap. 138. — *Heliopolin* recta fere linea meridiem versus a Bubasti sitam se adiisse affirmat II. 3: καὶ δὴ καὶ ἐς Θήβας τε καὶ ἐς Ἡλιούπολιν αὐτέων τουτέων εἵνεκεν ἐτραπόμην κ. τ. λ. (cf. 7. 8. 9, ubi iter ab Heliopoli ad Thebas usque dimetitur). Ineunte eodem cap. (II. 3.) *Memphi* se fuisse ait: „ὧδε μὲν γενέσθαι τῶν ἱρέων τοῦ Ἡφαίστου ἐν Μέμφι ἤκουον· ubi prae ceteris memorabilibus templum illud Vulcani attentissime spectatum ipsi fuisse, multi docent loci, quibus qui Aegypti reges a conditore inde *Mene* (II. 99.), alius aliud addendo, amplificarint vel exornarint Hephaesteum illud, religiose refert. v. II. 108. 110. 121. 136. 153. 176. Vidit atque ipse dimensus est *Pyramides* prope Memphin exstructas *Cheopis* (II. 124 sqq.) et *Chephrenis* (127: ταῦτα γὰρ ὧν καὶ ἡμεῖς ἐμετρήσαμεν); item *Mycerini* (134.) et *Asychis* latericiam (136.). Summa admiratione dignus ei visus est *Labyrinthus* (II. 148: ἐποιήσαντο λαβύρινθον, ὀλίγου ὑπὲρ τῆς λίμνης τῆς Μοίριος — τὸν ἐγὼ ἤδη ἴδον λόγου μέζω κ. τ. λ.); admirabilior tamen ipse *Moeridis lacus*, cuius magnitudinem, situm, altitudinem, pyramidesque in eo duas diligenter describit II. 149, seque sciscitatum ait accolas de subterraneo quodam eius lacus exitu: 150: εἰρόμην τοὺς ἄγχιστα οἰκέοντας τῆς λίμνης, ὅκου εἴη ὁ χοῦς ὁ ἐξο-

ρυχθείς κ. τ. λ. — *Chemmi*, ampla superioris Aegypti urbe (quam noli confundere cum insula eiusdem nominis, de qua supra diximus p. 110.), quae notior Graecis erat sub nomina *Panopolis*, Persei templum et signum, eidemque heroi instituti ludi gymnici viatorem in se converterunt perpuleruntque ad percunctandos incolas: ὅτι σφι μούνοισι ἔωθε ὁ Περσεὺς ἐπιφαίνεσθαι, καὶ ὅτι κεχωρίδασαι Αἰγυπτίων τῶν ἄλλων, ἀγῶνα γυμνικὸν τιθέντες. — Inde *Thebas* perrexisse videtur, quam antiquissimam urbem se visitasse planissime dicit II. 3. (quem locum supra ad Heliopolin attulimus) et II. 143: „πρότερον δὲ Ἑκαταίῳ τῷ λογοποιῷ ἐν Θήβῃσι γενεηλογήσαντι ἑωυτὸν — ἐποίησαν οἱ ἱρέες τοῦ Διὸς, οἷόν τε καὶ ἐμοὶ οὐ γενεηλογήσαντι ἐμεωυτὸν κ. τ. λ. — Hinc ad *Elephantinen* itineris longitudinem prodit II. 9; atque ad hanc usque Nili insulam nec ulterius ipsum se processisse libere profitetur II. 29: ἀλλὰ τοσόνδε μὲν ἄλλο ἐπὶ μακρότατον ἐπυθόμην, μέχρι μὲν Ἐλεφαντίνης πόλιος αὐτόπτης ἐλθὼν, τὸ δ' ἀπὸ τούτου ἀκοῇ ἤδη ἱστορέων.[117])

Ita-

117) Ne fraudem lectori facere videar, non silentio hic praeteribo, etiam in primo Herodoti libro interdum Aegyptum eiusque terrae loca, memorabilia, mores respici; v. I. 93. 182. 193. 198. Unde possis coniicere, tum quum Asiam peragraverit, litterisque mandaverit, quae de ea terra compererat, Aegyptum iam perspectam Nostro fuisse. Quae coniectura favere videtur Dahlmanni sententiae negantis, etiam ob temporum rationem, recitationem illam Olympicam unquam esse habitam. Aegyptiacum enim iter intra annos a. Chr. 454—444 cadere, recte vidit

Itaque quoniam ipse auctor itineris sui per hanc regionem terminum meridionalem indicat, nullis praeterea egemus indiciis, quibus credamus, ulteriora, *Aethiopiam* videlicet, invisa ipsi fuisse. Quamquam ne eiusmodi quidem indiciis destituimur. Inspicias modo, quae de *Aethiopibus* refert tamquam sibi relata III. 17 sqq., maxime 18. 20. 24, frequenter inspersis vocibus λέγεται εἶναι, φασὶ et similibus; quaeve de *Nili* fontibus et cursu superiore II. 28 sqq., imprimis 31. 34., de urbe *Meroë* II. 29: λέγεται δὲ αὕτη ἡ πόλις εἶναι μητρόπολις τῶν ἄλλων Αἰθιόπων· deque *Automolis* sive Asmach II. 30. Adde huc quae de *Troglodytis Aethiopibus* narrat IV. 183: οἱ γὰρ Τρωγλοδύται Αἰθίοπες πόδας τάχιστοι ἀνθρώπων πάντων εἰσὶ, τῶν ἡμεῖς περὶ λόγους ἀποφερομένους ἀκούομεν.

Nihilo magis dubium est, neque *interioris Li-*

(v. supra p. 41. 50.). Atqui recitationem illam primi potissimum libri (p. 42.) anno a. Chr. 456 probaliter assignari supra vidimus (p. 26 sq.) — Veruntamen paucis istis locis multo habeo plures, quos opponam e libro secundo, quibus vice versa Asia respicitur: II. 10. 20. 29. 34. 79. 104. 105. 106. 148. 150. 182. Ut adeo pateat, hac ex re nullam fieri posse coniecturam de itinerum ordine, quum haud dubie Thuriis iterum percensens partimque refingens opus suum in publicum tandem emittendum multa superioribus istis historiis e postea compertis inseruerit. Manet igitur suo loco nostra sententia, Asiaticum iter prius factum fuisse, quam Aegyptiacum; quamquam in Phoeniciam ex Aegypto demum se navigasse olare ipse prodit II. 44, sive tunc primum, sive iterum diligentioris indagationis caussa illam Asiae partem, probabiliter una cum adiacenti Palaestina (II. 104. 106.), visiturus.

byae tractum eum tumulosum et sabulosum ipsum peragrasse, quem a Thebis incipientem usque ad Atlantem montem persequitur IV. 181 sqq. Itaque non ipse vidit colles illos salis denorum dierum itinere distantes, neque gentes accolentes, quas enumerat: *Ammonios, Augilienses, Garamantes, Atarantes, Atlantes;* quamquam in ceterorum quidem recensione certum nullum reperitur vestigium, non ab ipso eas fuisse visitatas; de *Atlante* monte et Atlantibus satis clare innuit IV. 184: ὑψηλὸν δὲ οὕτω δή τι λέγεται (τὸ οὖρος sc.) κ. τ. λ., et mox: λέγονται δὲ (Ἄτλαντες) οὔτε ἔμψυχον οὐδὲν σιτέεσθαι, οὔτε ἐνύπνια ὁρᾶν. Ceterum ea quoque verba, quibus ordi tur cap. 185, auditu tantum sibi compertas eas gentes significant: μέχρι μὲν δὴ τῶν Ἀτλάντων τούτων ἔχω τὰ οὐνόματα τῶν ἐν τῇ ὀφρύῃ κατοικημένων καταλέξαι· τὸ δ' ἀπὸ τούτων οὐκέτι. Igitur sola nomina harum gentium, non ipsas gentes noverat. — De *Ammoniis* tamen est quod dubites, praesertim si cum nostro loco (IV. 181.) accurataque ibi fontis Solis descriptione conferas II. 42: Ἀμμώνιοι, ἐόντες Αἰγυπτίων τε καὶ Αἰθιόπων ἄποικοι, καὶ φωνὴν μεταξὺ ἀμφοτέρων νομίζοντες κ. τ. λ., et maxime III. 26, ubi in narratione de Persarum adversus Ammonios expeditione bis ipsis Ammoniis testibus utitur: λέγεται δὲ τάδε ὑπ' αὐτέων Ἀμμωνίων· et paullo post: Ἀμμώνιοι μὲν οὕτω λέγουσι γενέσθαι περὶ τῆς στρατιῆς ταύτης. Submovebitur autem ista dubitatio, ubi penitius perspexeris illos locos, quibus nihil continetur, nisi quod Thebis, cui urbi satis frequens cum Ammoniis fuit

commercium, auribus potuerit percepisse; nulla templi Iovis Ammonis descriptio, quam, si vidisset illud sacrum, certe non invidisset lectoribus. Immo in eodem capite (III. 26.), quo testes adhibet Ammonios, idem eorum testimonium non ab ipsis, sed per manus traditum se accepisse videtur innuere scribendo: „τὸ ἐνθεῦτεν δὲ, ὅτι μὴ αὐτοὶ Ἀμμώνιοι καὶ οἱ τούτων ἀκούσαντες, ἄλλοι οὐδένες οὐδὲν ἔχουσι εἰπεῖν περὶ αὐτέων.

Etiam versus orientem Nili vallem aut omnino non, aut parum excessit Noster, quamquam in septentrionali parte in Arabiae quendam locum excurrisse eum vidimus (p. 97.). In montes Arabicos enim, ab Heliopoli meridiem versus tendentes non se penetrasse aperte indicat II. 8: τῇ δὲ αὐτὸ (τὸ ὄρος sc.) ἑωυτοῦ ἐστὶ μακρότατον, ὡς ἐγὼ ἐκυνηγανόμην, δύο μηνῶν αὐτὰ εἶναι τῆς ὁδοῦ ἀπὸ ἠοῦς πρὸς ἑσπέρην, τὰ δὲ πρὸς τὴν ἠῶ λιβανωτοφόρα — εἶναι.

Maritimae autem *Libyae* aliquam certe partem praecipuaque illius orae loca haud dubie ipse adiit. Utitur aliquoties *Libyum* testimonio (IV. 173: λέγω δὲ ταῦτα τὰ λέγουσι αὐτοὶ Λίβυες. 187. extr.: λέγω δὲ τὰ λέγουσι αὐτοὶ Λίβυες. 191: ὡς δὴ λέγονταί γε ὑπὸ Λιβύων); interpretatur vocem quandam Libycam IV. 155. (Λίβυες γὰρ βασιλέα Βάττον καλέουσι κ. τ. λ.); Palladiorum stolas et femineum ululatum in sacris e Libya oriundum autumans, Libyssarum et vestitum et cantum ita describit, ut ipse vidisse et audivisse putandus sit IV. 189. Quibus ubi addideris Libyae situm breviter descriptum II. 32; fusius IV. 168, et

ab Aegypto inde illius orae populos, *Adyrmachidas*, *Giligammas*, *Asbystas*, *Anschisas*, *Cabales*, *Nasamones* (de quibus cf. II. 32. IV. 190.), *Psyllos* reliquosque cunctos usque ad caput 180 deinceps recensitos seduloque descriptos: vix dubium videbitur, quin ipse Noster in his regionibus affuerit. Nam etiamsi, qua est modestia, nusquam se affuisse disertis verbis iactat, tamen haud pauca illis capitibus insunt indicia, quibus probetur, nulla, quibus refellatur.[118]) At tamen ego quidem non crediderim, totum illum tractum maritimum pedestri itinere Nostrum peragrasse, quae res propter desertam regionem, per quam migrandum ei fuisset, haud minoribus certe tunc temporis, quam hodie, difficultatibus impedita erat. Crediderim potius, *Cyrenen* navi advectum aliquod tempus ibi commoratum, indeque fortasse in vicinas Libyae terras excurrisse. In cuiusmodi excursionibus videtur admiratus esse fertiles illas, quas memorat, regiones: *Azirin* (IV. 157.), *Cinypa* et *Evesperitarum* (IV. 198). Mireris tamen, *Plateam* insulam (IV. 151.) ad Giligammorum oram contra Azirin (IV. 157. 169.) itaque in via Cyrenen naviganti positam[119]) eum non vidisse; scribit enim de ea IV. 156: λέγεται δὲ ἴση εἶναι ἡ νῆσος τῇ νῦν Κυρηναίων πόλι. *Cyrenen* autem visam ipsi fuisse, haud ambigitur[120]);

118) Cf. *Wesseling.* Praef. p. XX. ed. Schweigh. p. V. ed. Gaisf. *Larcher* l. l. p. LXXIV.

119) V. *Hennicke:* Commentatio de Geographia Africae Herodotea. Gotting. 1788. 4°. p. 29. *Larcher: Table géogr.* i. v.

120) V. *Wesseling.* l. l. *Dahlmann.* l. l. p. 72.

non enim solum testes interdum adhibet Cyrenenses (II. 32. 33. IV. 154. 155.), sed etiam Cyrenaïcae terrae peculiarem describit situm, ex quo tribus diversis locis per octo menses fruges colligebantur (IV. 199.); item fruticem quendam Aegyptium ὁμοιότατον τῷ Κυρηναίῳ λωτῷ dicit (II. 96.), cuius fructus speciem et saporem accuratius indicat, ubi de *Lotophagis* agit IV. 177; postremo signum quoddam ea in urbe se vidisse satis clare significat, scribendo II. 181: ἄγαλμα, — τὸ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν σόον, ἔξω στραμμένον τοῦ Κυρηναίων ἄστεος. *Carthaginem* utrum adierit, a Cyrene fortasse navi eo advectus, necne, in controversiam adduci potest haud facilem disceptatu.[121]) Citat quidem aliquoties Carthaginienses auctores: IV. 43: Καρχηδόνιοι εἰσι οἱ λέγοντες κ. τ. λ. 195: λέγουσι Καρχηδόνιοι· cf. 196; VII. 167: ἔστι δὲ ὑπ' αὐτέων Καρχηδονίων ὅδε ὁ λόγος λεγόμενος; in quo capite extremo etiam haec sunt memoratu digna: Καρχηδόνιοι τοῦτο μὲν οἱ (τῷ Ἀμίλκᾳ sc.) ᾄδουσι, τοῦτο δὲ μνήματα ἐποίησαν ἐν πάσῃσι τῇσι πόλισι τῶν ἀποικίδων, ἐν αὐτῇ τε μέγιστον Καρχηδόνι. Attamen in his omnibus nihil inest, quod non alibi quoque a nautis Carthaginiensibus accipere potuerit; nullam enim usquam aut urbis aut terrae illius populi diligentiorem edit adumbrationem. Itaque haec res dubia maneat necesse est. — Id vero pro certo potest affirmari, extremas illas Africae occidentalis gentes, qui *Ausenses* excipientes usque ad promontorium So-

121) V. Wesseling. et Larcher. ll. ll. Dahlmann. p. 71 sq.

loëntem extenduntur (IV. 191—194.), *Maxyes, Zaueces, Gyzantes,* non visitatas esse ab Herodoto; qui in referendo de iis partim fabulosa ad alios testes confugit. V. cap. 191: — „οἱ ἀκέφαλοι οἱ ἐν τοῖσι στήθεσι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχοντες, ὡς δὴ λέγονται ὑπὸ Λιβύων· cap. 192: τοσαῦτα μέν νυν θηρία ἡ τῶν Νομάδων Λιβύων γῆ ἔχει, ὅσον ἡμεῖς ἱστορέοντες ἐπὶ μακρότατον οἷοί τε ἐγενόμεθα ἐξικέσθαι· 194: Γύζαντες —, ἐν τοῖσι μέλι μὲν πολλὸν μέλισσαι κατεργάζονται, πολλῷ δ' ἔτι πλέον λέγεται δημιουργοὺς ἄνδρας ποιεῖν· 195. de insula *Cyrauni:* ταῦτα εἰ μέν ἐστι ἀληθέως, οὐκ οἶδα, τὰ δὲ λέγεται, γράφω.

3. *Europa.*

Tandem in Europam nostram traiicimus, laetique appellimur ad *Graeciam,* per praeclaram illam Musarum omnium sedem peregrinatorem nostrum comitaturi. In qua quum per se facile sit coniectatu nullum paullo memorabiliorem locum videndi et investigandi studium Herodoti effugisse, tamen etiam hic ipsius utemur auctoritate, quatenus fieri potest. Consentaneum enim est neque mirandum, paullo rarius in his regionibus, ipsis suis lectoribus satis notis, consulto seduloque institutas reperiri locorum descriptiones, rariusque *αὐτοψίαν* ad ea quae refert probanda pro documento asserendam ei fuisse.

Ab *insulis* igitur ordiemur, omissis iis, quas supra (p. 87 sqq.) Asiae adiecimus. In Ionio mari *Zacynthum* se adiisse, diserte ipse declarat IV. 195: „εἴη δ' ἂν πᾶν, ὅκου καὶ ἐν Ζακύνθῳ ἐκ λίμνης καὶ

ὕδατος πίσσαν ἀναφερομένην αὐτὸς ἐγὼ ὥρεον κ. τ. λ. De reliquis eiusdem maris nullum certum indicium, plura de Aegei insulis exstant. *Cytheram* ei visam fuisse ex I. 105. coniicias; *Theram*ne viserit, non dubitabit quicunque narrata lib. IV. inde a cap. 147. perspexerit, ibique maxime cap. 150 init.: τὸ δὲ ἀπὸ τούτου μούνοι Θηραῖοι ὧδε γενέσθαι λέγουσι, et 154 init.: ταῦτα δὲ Θηραῖοι λέγουσι. *Siphnum* an ipse adierit, haud liquide patet ex III. 57. *Parum* adiisse, non modo testes Parii acciti VI. 134. (τὸ ἐνθεῦτεν δὲ αὐτοὶ Πάριοι γενέσθαι ὧδε λέγουσι), sed tota eiusdem capitis de Miltiade narratio suadet. *Delum* sine controversia visitavit et perlustravit, id quod clare docebunt hice loci: II. 170. IV. 33. 34. 35. VI. 98. Idem de *Aegina* satis probabunt hi alii: V. 83. 86. 87. 88. VIII. 84. *Euboeam* insulam peragrasse Nostrum frustra dubites, etsi nullum eius rei reperitur indicium, nisi accurata *Artemisii* orae descriptio VII. 176. Fuit etiam in insula *Samothrace*; mysteriis enim Samothraciis initiatum se fuisse, haud obscure prodit II. 51: ὅστις δὲ τὰ Καβείρων ὄργια μεμύηται, τὰ Σαμοθρήϊκες ἐπιτελέουσι παραλαβόντες παρὰ Πελασγῶν, οὗτος ὠνὴρ οἶδε τὸ λέγω. cf. extr. cap. Denique in *Thasum* insulam advectum se fuisse, diserte ait duobus locis: II. 44: ἀπικόμην δὲ καὶ ἐς Θάσου κ. τ. λ. et VI. 47: εἶδον δὲ καὶ αὐτὸς τὰ μέταλλα ταῦτα (ἐν Θάσῳ sc.).

In *Peloponneso* primum *Laconicam* sine dubio bene perspectam habuit. Lacedaemonios testes adhibet I. 70. III. 47. IV. 150. V. 49. VI. 52. 53.;

ipsos *Spartiatas* speciatim VI. 84; eorumque morum et institutorum bene peritum sese ostendit VI. 56—60 et II. 80. Arionis donarium in promontorio *Taenario* positum (I. 24.), item Helenae sacellum Phoebique templum, quae erant *Therapnae* non procul a Sparta (VI. 61.) sine dubio ipse vidit. — *Argivos* testet citat V. 87. VI. 75. 84. VII. 148. 150. 152. Argivarum et Aeginetarum morem quendam in vestitu peculiarem describit V. 88. (Ἀργείων μέν νυν καὶ Αἰγινητέων αἱ γυναῖκες ἔκ τε τόσου πέρονας ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἐφόρεον μέζονας ἢ προσοῦ); neque quae scribit VI. 76. de fluvio *Erasino* (ὃς λέγεται ῥέειν ἐκ τῆς Στυμφαλίης λίμνης· τὴν γὰρ δὴ λίμνην ταύτην ἐς χάσμα ἀφανὲς ἐκδιδοῦσαν ἀναφαίνεσθαι ἐν Ἀργεϊ, τὰ ἐνθεῦτεν δὲ τὸ ὕδωρ ἤδη τοῦτο ὑπ' Ἀργείων Ἐρασῖνον καλέεσθαι) accuratius consideranti dubitationem movebunt, fueritne Argis Herodotus; potest vel ipsum Erasinum vidisse; tantum non ortum fluminis e Stymphalo in Arcadia, nec totum eius cursum perspexerat. *Epidauri* fuisse Nostrum ex V. 83 colligas. — *Arcadiam* quod attinet, narrationem quandam, quae apud *Arcades* vulgo ferebatur, attingit VI. 127: Εὐφορίωνος, τοῦ δεξαμένου, ὡς λόγος ἐν Ἀρκαδίῃ, τοὺς Διοσκούρους. *Tegeae* spectavit Minervae Aleae templum quaeque id visu digna continebat; I. 66.: αἱ δὲ πέδαι αὗται — ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν σῶαι ἐν Τεγέῃ, περὶ τὸν νηὸν τῆς Ἀλέης Ἀθηναίης κρεμάμεναι· IX. 70: καὶ τὴν φάτνην τῶν ἵππων (sc. διήρπασαν) ἐοῦσαν χαλκέην πᾶσαν καὶ θέης ἀξίην· τὴν μέν νυν φάτνην ταύτην τὴν Μαρδονίου ἀνέθεσαν ἐς τὸν

νηὸν τῆς Ἀλέης Ἀθηναίης Τεγεῆται. Venit etiam *Nonacrin*, *Stygiam*que ibi aquam vidit, de qua scribit VI. 74: ἐν δὲ ταύτῃ τῇ πόλι λέγεται εἶναι ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων τὸ Στυγὸς ὕδωρ· καὶ δὴ καὶ ἔστι τοιόνδε τι· ὕδωρ ὀλίγον φαινόμενον ἐκ πέτρης στάζει ἐς ἄγκος· τὸ δὲ ἄγκος αἱμασιὴς τις περιῤῥέει κύκλος κ. τ. λ. — *Elida* terram universam miratus mulos non gignere, ea de re Eleos sciscitatus est: IV. 30. θωυμάζω δὲ — ὅτι ἐν τῇ Ἠλείῃ πάσῃ χώρῃ οὐ δυνέαται γίνεσθαι ἡμίονοι κ. τ. λ. — φασὶ δὲ αὐτοὶ Ἠλεῖοι ἐκ κατάρης τευ οὐ γίνεσθαί σφι ἡμιόνους. In *Triphylia* sex a Minyis condita oppida suo tempore („ἐπ' ἐμέο") maximam partem ab Eleis diruta fuisse tradit IV. 148. *Olympiae* signa, quibus ornatum erat Iovis templum, se contemplatum esse significat VII. 170 extr.: ὁ δὲ Μίκυθος — οὗτος ὃς — ἀνέθηκε ἐν Ὀλυμπίῃ τοὺς πολλοὺς ἀνδριάντας: cf. IX. 81: καὶ τῷ ἐν Ὀλυμπίῃ θεῷ ἐξελόντες, ἀπ' ἧς δεκάπηχυν χάλκεον Δία ἀνέθηκαν. Itineris a mari usque ad Heliopolin, Aegypti urbem, longitudinem adaequat II. 7. τῇ ἐξ Ἀθηνέων ὁδῷ, τῇ ἀπὸ τῶν δυώδεκα θεῶν τοῦ βωμοῦ φερούσῃ ἔς τε Πίσαν καὶ ἐπὶ τὸν νηὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου. — *Sicyone* Adrasti heroum vidisse eum apparet, quippe qui dicat V. 67. ἡρῷον γὰρ ἦν καὶ ἔστι ἐν αὐτῇ τῇ ἀγορῇ τῶν Σικυωνίων Ἀδρήστου τοῦ Ταλαοῦ. — *Corinthiorum* auctoritate utitur in narratione de Arione I. 23. 24.; item discrepantem eorum ab Atheniensium relationem de Adimanto et Salaminia pugna affert VIII. 94. (cf. p. 57 sq.). Corinthiarum vestitum tamquam sibi compertum respicit V. 87: ἐφό-

ρεον γὰρ δὴ πρότου αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ἐσθῆτα Δωρίδα, τῇ Κορινθίῃ παραπλησιωτάτην. Denique in *Isthmo* vidit triremem illam Phoeniciam, quam pro monumento pugnae Salaminiae Diis Graeci dicaverant, de qua dicit VIII. 121: ἥ περ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν· atque ibidem haud dubie aeneum Neptuni signum e praeda Plataeensi confectum spectavit; v. IX. 81.

Hinc in *mediam Graeciam* pergimus, perinde in his atque in antecedentibus ipsum Herodotum unicum sibi testem facturi. Possis tamen addere quae supra (c. III.) extrinsecus arcessita attulimus testimonia. — Atque primum quidem *Atheniensibus* saepissime utitur auctoribus: V. 63. 85. 87. VI. 75. 137. 138. VII. 189. VIII. 41. 84. 94. IX. 73. Urbem ipsam *Athenas* bene ei cognitam ac quaecunque complectebatur spectatu digna perspecta fuisse, suadebunt hice loci: II. 7. V. 77 (τὰς δὲ πέδας αὐτέων, ἐν τῇσι ἐδεδέατο, ἀνεκρέμασαν ἐς τὴν ἀκρόπολιν· αἵπερ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἔσαν περιεοῦσαι κ. τ. λ. usque ad fin. cap.) 89 (τῷ μὲν Αἰακῷτέμενος ἀπέδεξαν τοῦτο, τὸ νῦν ἐπὶ τῆς ἀγορῆς ἵδρυται). Adde quae scribit VI. 103 de Cimonis sepulcro et VIII. 52. 53. 55 de arce Athenarum. — Comparat Chersonesi Tauricae situm cum australi *Atticae terrae* angulo, tamquam ipsi sibi adspectu cognito IV. 99: καὶ παραπλήσια ταύτῃ καὶ οἱ Ταῦροι νέμονται τῆς Σκυθικῆς, ὡς εἰ τῆς Ἀττικῆς ἄλλο ἔθνος καὶ μὴ Ἀθηναῖοι νεμοίατο τὸν γουνὸν τὸν Σουνιακόν, μᾶλλον ἐς τὸν πόντον τὴν ἄκρην ἀνέχοντα, τὸν ἀπὸ Θορικοῦ μέχρι Ἀναφλύστου δήμου. Idem vidisse se prodit *Zostera*

promontorium VIII. 107, et Anchimolii Spartani sepulcrum, quod erat *Alopecis*, pago Attico: V. 63 fin. — *Salamina* insulam locaque adiacentia diligenter explorata habuit; probat id cum tota pugnae Salaminiae descriptio, tum imprimis libri VIII. cap. 76 et 90. — *Boeotiam* a Nostro attente fuisse perlustratam, praecipue liber nonus testificatur, in eoque maxime hice loci: Cap. 15 Mardonii iter a Decelea in agrum Thebanum eiusdemque castrorum tractus accurate describitur; c. 16 *Orchomenium* quendam nominat, ipsi narrationis auctorem („τὰ δὲ ἤδη τὰ ἐπίλοιπα ἥκουον Θερσάνδρου, ἀνδρὸς μὲν Ὀρχομενίου, λόγιμου δὲ ἐς τὰ πρῶτα ἐν Ὀρχομενῷ"). Cap. 25 et 49 *agri Plataeensis* descriptionem instituit, in quo ipse vidit Iunonis templum (52.) et caesorum sepulcra, nonnullorum autem cenotaphia (85). Porro cap. 51 *Oëroës* insulae, *Asopo* fluvio conformatae, accuratam descriptionem hisce finit verbis: Συγκεῖται δὲ ταύτην λέγουσι εἶναι Ἀσωποῦ οἱ ἐπιχώριοι. Denique adde quae cap. 57 scribit de *Moloënte* fluvio ad eumque Cereris templo. *Thebis* eum affuisse alii in ceteris libris obvia indicia aperte docent. Spectavit ibi Croesi donaria in templo Apollinis Ismenii asservata: I. 52: τὰ ἔστι καὶ ἀμφότερα ἐς ἐμὲ ἦν κείμενα ἐν Θήβῃσι καὶ Θηβαίων ἐν τῷ νηῷ τοῦ Ἰσμηνίου Ἀπόλλωνος· et I. 92: ἐν μὲν γὰρ Θήβῃσι τῇσι Βοιωτῶν τρίποδας χρυσέους, τὸν ἀνέθηκε (Κροῖσος sc.) τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Ἰσμηνίῳ· quo in templo se affuisse ipse disertis verbis affirmat V. 59: Ἴδον δὲ καὶ αὐτὸς Καδμήϊα γράμματα ἐν τῷ ἱρῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἰσμηνίου ἐν

Θίβησι τῇσι Βοιωτῶν. Neque dubium esse potest, ipsum adiisse *Delium*, Thebanorum templum idemque deinceps oppidum contra Chalcidem in Euboea situm: VI. 118; et *Ptoum*, eorundem Apollinis templum ad lacum *Copaïdem*. VII. 135.

In *Phocide Delphici* Dei thesauros summo cum studio et cura contemplatum, seduloque omnia perscrutatum esse et ab aedituis investigasse, luce clarius ostendunt Gygis, Alyattis, Croesi, Rhodopidis, Evelthonis, aliaque Graecorum multa donaria partim ipsa, partim loca, quibus erant in templo collocata, diligenter exposita. Sufficient hi loci indicati: I. 14. 20. 25. 50 et 51. 92. II. 135. III. 57. IV. 162. VIII. 27. 82. 121. 122. IX. 81. quibuscum cf. VII. 178. VIII. 39. Etiam *Abas* haud dubie visit (v. VIII. 27 fin. 33.), *Parnassum*que ipsum escendisse, probabilis coniectura est ex VIII. 32. 39. — *Doridis* situm describit VIII. 31. *Aetoliam* et *Acarnaniam* quoque fuisse ab Herodoto visitatas, perspicua indicia desideramus, nisi quod II. 10, Delta Aegyptiacum Nilo deberi tradens, respicit *Acheloum* simile quoddam efficientem: „ὃς ῥέων δι' Ἀκαρνανίης καὶ ἐξιεὶς ἐς θάλασσαν, τῶν Ἐχινάδων νήσων τὰς ἡμίσεας ἤδη ἤπειρον πεποίηκε.

Septentrionalem Graeciam quod attinet, *Epiri* certe aliquam partem peragrasse debebat, qui *Dodonae* se affuisse cumque fatidicis ibi sacerdotibus collocutum esse diserte ait II. 52: ἔφυον δὲ πάντα πρότερον οἱ Πελασγοὶ θεοῖσι ἐπευχόμενοι, ὡς ἐγὼ ἐν Δωδώνῃ οἶδα ἀκούσας· cf. 53 fin. et 55 init. —

Thessaliam porro quis neget bene perspectam fuisse ei, qui, postquam descripsit terrae eius situm, postremo addit VII. 129 extr.: ἔστι γὰρ σεισμοῦ ἔργον, ὡς ἐμοὶ ἐφαίνετο εἶναι, ἡ διάστασις τῶν οὐρέων· qui maris inter *Sciathum* insulam et oram *Sepiadem* naturam bene sibi notam prodit VII. 183; qui *Aphetas* ad sinum Pagasacum VII. 193, qui accuratissime VII. 198 sqq. totam *Maliaco sinui* adiacentem regionem cum montibus, fluviis, oppidis omnibus describit; atque ante omnia *Thermopylarum* situm locaque ea, in quibus trecenti illi immortales victi aeternam Graeciae victoriam reportaverant, summa cum cura se perscrutatum indigenasque sciscitatum identidem ostendit. V. VII. 176. 201: καλέεται δὲ ὁ χῶρος οὗτος ὑπὸ μὲν τῶν πλεόνων Ἑλλήνων Θερμοπύλαι· ὑπὸ δὲ τῶν ἐπιχωρίων καὶ περιοίκων Πύλαι. 216 et 223 (semitae, qua Persarum agmen circumducebatur, tractus descriptus); 225: ὁ δὲ κολωνός ἐστι ἐν τῇ ἐξόδῳ, ὅκου νῦν ὁ λίθινός λέων ἕστηκε· 228 (epigrammata occisorum tumulis inscripta).

Relicta Graecia, in finitimas transgredimur terras, *Macedoniam* et *Thraciam*; quarum magnam certe partem, imprimis vero maritimas regiones, perlustravit Noster. *Macedones* non semel testes citat: V. 22: Ἕλληνας δὲ τούτους (Macedonum reges sc.) εἶναι ἀπὸ Περδίκκεω γεγονότας, καταπερ αὐτοὶ λέγουσι, αὐτός τε οὕτω τυγχάνω ἐπιστάμενος κ. τ. λ. VII. 73: οἱ δὲ Φρύγες, ὡς Μακεδόνες λέγουσι, ἐκαλέοντο Βρίγες· VIII. 138: ἐν τούτοισι καὶ ὁ Σιληνὸς τοῖσι κήποισι ἦλω, ὡς λέγεται ὑπὸ Μακεδόνων.

Tota via, qua per Macedoniam incesserunt Xerxis copiae a *Pangaeo* monte inde ad *Strymonem* fluvium et *Eïona* urbem (VIII. 113), hinc per *Ennea Hodus* (114.), *Argilum*, *Bisaltiam* regionem, campum *Syleum*, *Stagira*, *Acanthum* (115: τὴν δὲ ὁδὸν ταύτην, τῇ βασιλεὺς Ξέρξης τὸν στρατὸν ἤλασε, οὔτε συγγέουσι θρήϊκες, οὔτ' ἐπισπείρουσι, σέβονταί τε μεγάλως τὸ μέχρι ἐμεῦ); porro classis Xerxianae iter Acantho *Thermam* praemissae (122, 123.); eodemque pedestris exercitus per mediam continentem iter (124.); denique castrorum Persicorum ad *Thermam* situs ac dimensio (127.) — haec omnia tam vivide et accurate descripta sunt, ut omnino agminis illius vestigia ipse Herodotus persecutus, earumque regionum incolas de regis expeditione percunctatus esse putandus sit. Huc accedit, quod *Paeoniae* situm, gentes, *Prasiadem* paludem, viamque, quae inde ferebat in Macedoniam proprie dictam, exponit V. 15—17, qua in terra ipsum affuisse Herodotum declarat etiam alius locus: IV. 33 fin., ubi de ritu quodam Thracjarum et *Paeoniarum* mulierum in sacrificando Dianae loquens bis se haec bene scire affirmat (καὶ ταῦτα μὲν δὴ οἶδα ταῦτας ποιεύσας). Praeterea *Athon* montem eiusque naturam et oppida in eo sita ut ipsi sibi cognita tradit VII. 22. 23; et in *Pallenen* peninsulam *Potidaeam*que urbem se venisse, incolis testibus citatis prodit VIII. 129. Quin etiam in interiorem terram, duntaxat usque ad montem *Bermium*, penetrasse eum, e libri VIII. c. 138, in Pelasgicam

urbem *Crestona*, supra Mygdoniam sitam, e libri I. c. 57 coniicias.

Thracum multitudinem, leges et instituta enarrat Herodotus V. 3 sqq., iisque auctoribus de ulteriori terra fabulosa refert V. 10: ὡς δὲ Θρήϊκες λέγουσι, μέλισσαι κατέχουσαι τὰ πέρην τοῦ Ἴστρου εἰσί.[122]) Praeterea in Thracia se fuisse clare indicat II. 103: τούς τε Σκύθας κατεστρέψατο (Σέσωστρις sc.) καὶ τοὺς Θρήϊκας· ἐς τούτους δέ μοι δοκέει καὶ πρὸ τούτου ἀπικέσθαι ὁ Λιγύπτιος στρατός· ἐν μὲν γὰρ τῇ τούτων χώρῃ φαίνονται σταθεῖσαι αἱ στῆλαι· τὸ δὲ προσωτέρω τούτων οὐκέτι· item IV. 33, quem locum modo allegavimus (p. 126.); IV. 74: ἔστι δέ σφι (Σκύθαις sc.) κάπνοβις φυομένη ἐν τῇ χώρῃ, πλὴν παχύτητος καὶ μεγάθεος τῷ λίνῳ ἐμφερεστάτη· ταύτῃ δὲ πολλῷ ὑπερφέρει ἡ κάνναβις αὕτη· καὶ αὐτομάτη καὶ σπειρομένη φύεται· καὶ ἐξ αὐτῆς Θρήϊκες μὲν καὶ εἵματα ποιεῦνται τοῖσι λινέοισι ὁμοιότατα· οὐδ' ἂν, ὅστις μὴ πάμπαν τρίβων εἴη αὐτῆς, διαγνοίη, λίνου ἢ κανν. ἐστι κ. τ. λ. — Atque hic, ut in Macedonia, *Aegei maris oram*, per quam Persicum agmen incesserat, studiose peragravit; id quod suadet accurate descriptum Xerxis iter a *Cardia* inde usque ad *Doriscum* fluviumque *Hebrum* VII. 58. 59; hinc VII. 108. 109 iuxta littus per *Mesembriam*, *Strymen*, *Lissum* fluv., *Brianticam* regionem, *Maroneam*, *Di-*

122) Intelligitur his interior terra trans Istrum occidentem versus extenta; nam ostia illius fluvii, per oram Ponti Euxini incedens, ipse Noster longe superavit, ut infra videbimus.

ciam, *Abdera* (cf. VIII. 120: ὡς αὐτοὶ λέγουσι Ἀβδηρῖται κ. τ. λ.), *Pistyrum*, (ubi etiam paludes, fluvii, gentes omnes, quas attigit agmen recensentur, deque *Satrarum* gente peculiaria quaedam narrantur cap. 111); denique (112.) per castella *Pierum* et montem *Pangaeum* in *Paeoniam* terram. Attamen non solum eam oram, sed ceteras etiam *maritimas Thraciae regiones* et urbes visitavit Herodotus. Primum enim *Chersonesum* Thraciam optime perspectam ei fuisse, facile probabunt hice loci: VI. 36. (ubi totius peninsulae longitudinem indicat), VII. 33: ἔστι δὲ τῆς Χερσονήσου τῆς ἐν Ἑλλησπόντῳ, Σηστοῦ τε πόλις μεταξὺ καὶ Μαδύτου, ἀκτὴ τραχέα ἐς θάλασσαν κατήκουσα κ. τ. λ. ibid. 58; IX. 116: ἐν γὰρ Ἐλαιοῦντι τῆς Χερσονήσου ἐστὶ Πρωτεσίλεω τάφος κ. τ. λ. IX. 120 init.: λέγεται ὑπὸ Χερσονησιτέων κ. τ. λ. ibid. fin.: ἐπὶ τὸν καλωνὸν τὸν ὑπὲρ Μαδύτου πόλιος κ. τ. λ. Deinde etiam reliquam Thraciae oram ad *Propontida*, *Bosporum* et *Pontum* protentam probabiliter navigio legens, Graecas certe in ea sitas colonias visit, quarum incolas generatim auctores sibi narrationis cuiusdam fuisse ait IV. 95: ὡς δὲ ἐγὼ πυνθάνομαι τῶν τὸν Ἑλλήσποντον[123]) οἰκεόντων Ἑλλήνων καὶ Πόντον, τὸν Ζάλμοξιν τοῦτον ἐόντα ἄνθρωπον δουλεῦσαι ἐν

123) *Hellesponti* nomine nonnunquam etiam *Propontida* complectitur Noster, v. c. IV. 138. VI. 33. (cf. supra p. 90.), quae latius patens significatio vetustissimis temporibus apud omnes valebat. V. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 142. Cf. Breiger. l. l. p. 20. Ipsum Propontidis nomen non nisi bis apud Nostrum reperitur: IV. 85 et V. 122.

ἐν Σάμῳ κ. τ. λ. *Byzantii* eum affuisse apertum fit ex IV. 87: τῇσι μέν νυν στήλῃσι ταύτῃσι (quas erexit Darius sc.) Βυζάντιοι κομίσαντες ἐς τὴν πόλιν ὕστερον στυπέων ἐχρήσαντο πρὸς τὸν βωμὸν τῆς Ὀρθωσίης Ἀρτέμιδος, χωρὶς ἐνὸς λίθου· οὗτος δὲ καταλείφθη παρὰ τοῦ Διονύσου τὸν νηὸν ἐν Βυζαντίῳ γραμμάτων Ἀσσυρίων πλέος. Neque dubium quemquam sinent ea quae leguntur IV. 90. 91, viseritne ipse Herodotus *Heraeum*, oppidum in Propontide prope Perinthum, et *Apolloniam*, urbem in Ponto sitam, ipseque ex harum urbium alterutra profectus in interiorem terram penetraverit ad fontes *Teari* fluvii, de quo scribit IV. 90: ὁ δὲ Τέαρος λέγεται ὑπὸ τῶν περιοίκων εἶναι ποταμῶν ἄριστος κ. τ. λ., et prope quem inscriptionem Darii invenit Oppio insculptam. Interius in Thraciam penetrasse scriptorem nostrum, nihil est quod probet; extremam eam terram non attigisse certe putandus est.[124])

Maria autem ac *freta*, quibus alluitur Thracia, ipsum esse emensum, aperte docemur ex libri IV. cap. 85 sq., ubi *Ponti Euxini*, *Bospori*, *Propontidis*, *Hellesponti* mensuram indicat, et deinceps (cap. 86.) addit, qua ratione inventae sint eae mensurae, easque ab ipso esse collectas: „ὁ μέν νυν Πόντος οὗτος καὶ Βόσπορός τε καὶ Ἑλλήσποντος οὕτω τέ μοι μεμετρέαται, καὶ κατὰ τὰ εἰρημένα πεφύκασι." Praeterea de *Bosporo* cf. IV. 81, ubi fretum

124) Cf. Dahlmann. l. l. p. 167.

illud τὸ στόμα τοῦ Πόντου vocatur[125]): ἐν τούτῳ τῷ χώρῳ (*Exampaeo* sc., loco inter Hypanin et Borystenem, fluvios Scythicos) κέεται χαλκήϊον μεγάθεϊ καὶ ἑξαπλήσιον τοῦ ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Πόντου κρητῆρος, τὸν Παυσανίης ὁ Κλεομβρότου ἀνέθηκε· ὃς δὲ μὴ εἰδέ κω τοῦτον, ὧδε δηλώσω κ. τ. λ. item 87 fin.: τοῦ δὲ Βοσπόρου ὁ χῶρος τὸν ἔζευξε βασιλεὺς Δαρεῖος, ὡς ἐμοὶ δόκέει συμβαλλομένῳ, μέσον ἐστὶ Βυζαντίου τε καὶ τοῦ ἐπὶ στόματι ἱροῦ. De Hellesponti latitudine cf. VII. 34. Quodsi *longitudinum* mensurae nimiae fere sunt, superantque et ceterorum antiquorum et recentium geographorum numeros, quum *latitudines* non multum certe abhorreant a veritate: vel hoc documento est, ipsum Herodotum navigando aestimasse has distantias, nimirum non recto vectum cursu, sed oras per omnes sinus legentem.[126])

Septentrionem versus fines Thraciae non modo attigit, sed etiam superavit Noster. Licet enim non liqueat, utrum *Getas* τοὺς ἀθανατίζοντας, quos dicit IV. 93 Θρηίκων ἀνδρειοτάτους καὶ δικαιοτάτους, ipse adierit, an ex aliorum Thracum traditione narret mirum illum morem, quem accurate describit IV. 94: tamen *Istrum* fluvium *Istriam*que, Milesiorum ad Istri ostia sitam coloniam, ipsi comperta fuisse colligere licet ex II. 33. 34.

---

125) Eadem utitur denominatione *Strabo* VII. 221. et iam ante Nostrum *Aeschylus* Pers. 877. (ed. Schütz.): στόμωνα Πόντου.

126) Uberius summaque cum diligentia de Herodotea istorum marium mensura disseruit *Breiger.* cap. II. p. 19 sqq.

Hinc trans Istrum in *Scythiam* Nostrum comitabimur, quam terram quin inspexerit, dubitari nequit.[127]) Id enim satis iam probant aliquot loci hic illic sparsi: I. 105, ubi de morbo muliebri Scythis inflicto scribit: τοῖσι δὲ τῶν Σκυθέων συλήσασι τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Ἀσκάλωνι — ἐνέσκηψε ἡ θεὸς θήλειαν νοῦσον· ὥς τε ἅμα λέγουσί τε οἱ Σκύθαι διὰ τοῦτό σφεας νοσέειν, καὶ ὁρᾶν παρ' ἑωυτοῖσι τοὺς ἀπικομένους ἐς τὴν Σκυθικὴν χώρην, ὡς διακέαται, τοὺς καλέουσι Ἐναρέας οἱ Σκύθαι· II. 103, ubi cippos victoriae indices a Sesostride rege erectos in Scythia se vidisse significat (ipsa verba supra descripsimus p. 127); porro IV. 5 sqq., ubi Scytharum de origine sua deque ulterioris terrae natura narrationes refert, ipsos non semel testes adhibens: cap. 5: ὡς δὲ Σκύθαι λέγουσι, νεώτατον ἁπάντων ἐθνέων εἶναι τὸ σφέτερον κ. τ. λ. cap. 7: γεγονέναι μέν νύν σφεας ὧδε λέγουσι οἱ Σκύθαι κ. τ. λ. cap. 8: Σκύθαι μὲν ὧδε ὑπὲρ σφέων τε αὐτέων καὶ τῆς χώρης τῆς κατύπερθε λέγουσι· Ἑλλήνων δὲ οἱ τὰν Πόντου (i. e. septentrionalem Ponti oram; cf. supra p. 91 sqq.) οἰκέοντες ὧδε κ. τ. λ. — Prorsus autem evincitur Herodoti αὐτοψία accurata Scytharum gentis ac terrae descriptione, quam instituit lib. IV. inde a cap. 46. Primum enim omnia quae refert bene perpendenti dubium non videbitur, quin fluviorum illorum in Pon-

127) Cf. Wesseling. Praef. p. XX. ed. Schweigh. p. IV. ed. Gaisf. Larcher. l. l. p. LXX et LXXVII. Dahlmann. p. 62.

tum Euxinum exeuntium, quos recenset cap. 48 sqq., certe ostia ipse viderit. Nominantur autem ibi hi deinceps fluvii: *Ister* (48—50), *Tyras* (hodie Dniester 51.) de quo cf. IV. 11 fin.: *καὶ τοὺς μὲν* (reges Cimmeriorum scil.) *ἀποθανόντας πάντας ὑπ' ἑωυτῶν* (a Scythis sc.) *θάψαι τὸν δῆμιον τῶν Κιμμερίων παρὰ ποταμὸν Τύρην· καί σφεων ἔτι δῆλός ἐστι ὁ τάφος·* et IV. 82: *ἴχνος Ἡρακλέος φαίνουσι ἐν πέτρῃ ἐνεὸν, τὸ οἷκε μὲν βήμασι ἀνδρὸς, ἔστι δὲ τὸ μέγαθος δίπηχυ, παρὰ τὸν Τύρην ποταμόν.* Sequitur *Hypanis* (hodie Bog, c. 52) cf. IV. 18: *ἄνω οἰκέουσι Σκύθαι γεωργοί· τοὺς Ἕλληνες οἱ οἰκέοντες ἐπὶ τῷ Ὑπάνι ποταμῷ καλέουσι Βορυσθενείτας·* tum *Borysthenes* (hodie Dniepr) c. 53: *ὃς ἐστι μέγιστός τε μετὰ Ἴστρον τουτέων καὶ πολυαρκέστατος κατὰ γνώμας τὰς ἡμετέρας κ. τ. λ.* et mox: *ὃς νομάς τε καλλίστας καὶ εὐκομιδεστάτας κτήνεσι παρέχεται, ἰχθύας τε ἀρίστους διακριδὸν καὶ πλείστους· πίνεσθαί τε ἥδιστός ἐστι·* cf. quae scribit de *Borysthenëitarum urbe* IV. 79, et maxime memorabilem locum IV. 81 de *Exampaeo,* fonte et regione quadam inter Hypanin et Borysthenem, ubi se affuisse suisque oculis vidisse ingentem illum Scythicum craterem, quem cum alio Graeco cratere comparari paullo ante (p. 130.) vidimus, disertis verbis affirmat, scribens: *πλῆθος δὲ τὸ Σκυθέων οὐκ οἷός τε ἐγενόμην ἀτρεκέως πυθέσθαι — τοσόνδε μέντοι ἀπέφαινόν μοι ἐς ὄψιν κ. τ. λ.* — Sequuntur IV. 54: *Panticapes* fl. „ὃς — *ἐκδιδοῖ ἐς τὴν Ὑλαίην*" *κ. τ. λ.* 55: *Hypacyris,* „ὃς — *ἐκδιδοῖ κατὰ Καρκινῖτιν πόλιν, ἐς δεξιὴν ἀπέργων τήν τε Ὑλαίην*

καὶ τὸν Ἀχιλλήϊον καλεόμενον Δρόμον·" (cf. IV. 76: — καταδὺς ἐς τὴν καλεομένην Τλαίην· ἡ δ' ἔστι μὲν παρὰ τὸν Ἀχιλλήϊον Δρόμον, συγχάνει δὲ πᾶσα ἐοῦσα δενδρέων παντοίων πλέη·); 56: *Gerrhus*, 57: *Tanais*, „ὃς ῥέει τὰνέκαθεν ἐκ λίμνης μεγάλης ὁρμεώμενος, ἐκδιδοῖ δὲ ἐς μέζω ἔτι λίμνην καλεομένην Μαιῆτιν" κ. τ. λ. — Adde huc, quod in sqq. capitibus, quae continent morum ac rituum gentis bonorumque terrae enarrationem, multa insunt indicia, quibus idem docemur. Vide omnino cap. 58. 60 (de ritu in sacrificando); 61: ἔπειτα ἐσβάλλουσι — ἐς λέβητας ἐπιχωρίους, μάλιστα Λευβίοισι κρητῆρσι προσεικέλους, χωρὶς ἢ ὅτι πολλῷ μέζονας· 67 (de divinandi ratione); 70 (de foederis faciendi ritu); 74 (de cannabi apud Scythas nascente; verba supra enotavimus p. 127.) et 75 (de suffimento e semine cannabis, quod „ἀτμίδα παρέχεται τοσαύτην, ὥστε Ἑλληνικὴ οὐδεμία ἂν μιν πυρίη ἀποκρατήσειε κ. τ. λ.); denique 76 sub fin., ubi e Scytha quodam, quem nominat, se accepisse aliquid dicit: „ὡς δ' ἐγὼ ἤκουσα Τίμνεω, τοῦ Ἀριαπείθεος (Scytharum regis) ἐπιτρόπου." Quo ubi postremo addideris situm maritimum totamque dimensionem Scythiae accurate indicatam IV. 99 — 101, vocesque quasdam Scythicas explicatas IV. 27. 110: profecto non ambiges, ipsum Herodotum in ea terra affuisse.

Ea tamen restat quaestio disceptanda, quousque et orientem, et septentrionem versus in his regionibus processerit. Atqui orientem quod attinet, e locis supra enotatis satis colligitur, usque ad *Borysthenem* in *Hylaeam* regionem eum penetrasse, ut

adeo *Gerrhum* fluvium extremum in hac parte itineris finem statuerim. Nam *Tauricam Chersonesum*, quam ipse *Tracheam* appellat, etiamsi circumnavigasse quidem putandus sit, quippe qui eius terrae formam comparet cum promontorio Suniaco et Iapygia IV. 99 (quo loco supra iam usi sumus p. 122.): tamen per ipsam peninsulam illam inhospitalem, cuius incolas sacrificare dicit „τοὺς ἂν λάβωσι Ἑλλήνων ἐπαναχθέντας" (IV. 103.), certe iter non fecit. Quod quominus tibi persuadeas, attente perlecto capite illo, quo de Taurorum moribus agit, non impedient haecce verba: „τὴν δὲ δαίμονα ταύτην, τῇ θύουσι, λέγουσι αὐτοὶ Ταῦροι Ἰφιγένειαν τὴν Ἀγαμέμνονος εἶναι", quibus ipsos Tauros testes facere videtur. Potuit enim a Scythis eam gentis illius opinionem compertam habere.

Maeotin paludem, quae modo Μαιῶτις (IV. 3), modo Μαιῆτις λίμνη ei audit, non ipsum emensum esse, nec omnem oculis vidisse, plane evincunt, quae de eius amplitudine cum Ponto comparata scribit IV. 86: παρέχεται δὲ καὶ λίμνην ὁ Πόντος οὗτος, ἐκδιδοῦσαν ἐς ἑωυτὸν, οὐ πολλῷ τέῳ ἐλάσσω ἑωυτοῦ· ἡ Μαιῆτίς τε καλέεται, καὶ μήτηρ τοῦ Πόντου.[128]) Ne-

128) Cf. *Breiger.* l. l. p. 32 sq., qui recte observat, eadem iam *Eustathium* in Nostro legisse, qui eum sine dubio respexit ad *Dionys. Perieg.* 163: φασὶ δέ τινες καὶ μὴ πολὺ ἐλάττονα εἶναι τοῦ Πόντου τὴν αὐτοῦ μητέρα ταύτην Μαιῶτιδα. Ne forte credas, vocem οὐ ante πολλῷ perperam in textum irrepsisse. Μεγίστην etiam IV, 3 eandem paludem vocat Herodotus.

que crediderim, ipsum Nostrum viae longitudinem ab hac palude inde usque ad Phasin fluvium, quam triginta dierum εὐζώνῳ esse refert I. 104, pedestri itinere emensum fuisse. Sed navi sane videtur etiam hanc oram a *Bosporo Cimmerio* et *Sindica* regione (IV. 86.) inde in Colchicum littus legisse.

Septentrionem versus in interiores Scythicae terrae regiones haud penitus Nostrum penetrasse, facile est collectu ex iis, quae refert IV. 104 sqq. (cf. IV. 100.) de gentibus, quae in illis regionibus habitare ferebantur: *Agathyrsos* dico (cap. 104.), *Neuros* (105: κινδυνεύουσι δὲ οἱ ἄνθρωποι οὗτοι γόητες εἶναι· λέγονται γὰρ ὑπὸ Σκυθέων καὶ Ἑλλήνων τῶν ἐν τῇ Σκυθικῇ κατοικημένων, ὡς κ. τ. λ.), *Androphagos* (106.), *Melanchlaenos* (107.). Nec crediderim, *Budinorum* in terram excurrisse eum vidisseque *Gelonorum*, gentis origine Graecae, urbem ligneam ingentem, cum templis Deorum Graecorum, quamquam e descriptione cap. 108 et 109 prolata sane fiat verisimile; sed ex peregrinatoris alicuius Graeci relatione ea hausisse mihi videtur, situm illius populi satis longe a Ponto remotum perpendenti, et conferenti IV. 21. Nam *Sauromatas*, quos deinceps nominat (cap. 110), ab ipso non esse visitatos, facile patet; eos vero magis meridiem versus habitasse, quam Budinos, elucet ex loco modo citato (IV. 21). Multo igitur minus *Thyssagetas* adiisse putandus est, quos supra Budinos, interiecta solitudine, habitare refert IV. 123. cf. 22. Itaque castellorum illorum a Dario in Thyssagetarum finibus ad *Oarum*

fluvium (quem hodie *Wolgam* vocamus sec. *Rennel*) exstructorum ruinas neutiquam ipse vidit, quamquam eas suo adhuc tempore fuisse refert IV. 124: „τῶν ἔτι ἐς ἐμὲ τὰ ἐρείπια σῶα ἦν", i. e., ut recte interpretatur Dahlmannus (p. 161.), quo tempore ipse Scythicam oram peragrans ab incolis ea quae narrat exploraverat. — Atque omnino non adiit cunctos eos septentrionalis Europae populos, quos recenset IV. 22—36: *Iyrcas, Argippaeos, Issedones, Arimaspos* et *Gryphos, Hyperboreos;* de quibus omnibus multa sibi tradita narrat fabulosa, hisce, quibus se muniat, praemissis, cap. 16 init.: „τῆς δὲ γῆς, τῆς πέρι ὅδε ὁ λόγος ὥρμηται λέγεσθαι, οὐδεὶς οἶδε ἀτρεκὲς ὅ,τι τὸ κατύπερθέ ἐστι· οὐδενὸς γὰρ δὴ αὐτόπτεω εἰδέναι φαμένου δύναμαι πυθέσθαι — ἀλλ' ὅσον μὲν ἡμεῖς ἀτρεκέως ἐπὶ μακρότατον οἷοί τ' ἐγενόμεθα ἀκοῇ ἐξικέσθαι, πᾶν εἰρήσεται. Cf. IV. 13: *Aristeae* fabulatoris de iisdem gentibus narrationem, et quae refert III. 116 de *Arimaspis.* (Cf. supra p. 106).

Postquam pervenimus ad fines non modo itinerum Herodoti in hac orientali terrae parte, sed omnino Europae Herodoteae, superest, ut ad *occidentem* nos convertamus, primumque investigemus, quousque versus septentrionem Herodoto ea terra innotuerit. Ea vero notitia Thraciae terminum septentrionalem, *Istrum* dico, non modo non superari, sed in interiori terra ne attingi quidem, facile patet ex iis, quae scribit V. 9. 10 de illarum regionum natura et incolis: Τὸ δὲ πρὸς βορέω ἔτι τῆς χώρης ταύ-

της οὐδεὶς ἔχει φράσαι τὸ ἀτρεκές, οἵτινές εἰσι ἀνθρώπων οἱ οἰκέοντες αὐτήν· ἀλλὰ τὰ πέρην ἤδη τοῦ Ἴστρου ἐρῆμος χώρη φαίνεται ἐοῦσα καὶ ἄπειρος· μούνους δὲ δύναμαι πυθέσθαι οἰκέοντας πέρην τοῦ Ἴστρου ἀνθρώπους, τοῖσι οὔνομα εἶναι Σιγύννας, ἐσθῆτι δὲ χρεωμένους Μηδικῇ — κατήκειν δὲ τουτέων τοὺς οὔρους ἀγχοῦ Ἐνετῶν τῶν ἐν τῷ Ἀδρίῃ κ. τ. λ.; adde quae e capite 10 enotavimus supra p. 127. — Praeterea scribit omnino de Europa orientali et septentrionali IV. 45: ἡ δὲ Εὐρώπη πρὸς οὐδαμῶν φανερή ἐστι γινωσκομένη, οὔτε τὰ πρὸς ἥλιον ἀνατέλλοντα, οὔτε τὰ πρὸς βορῆν, εἰ περίῤῥυτός ἐστι· quo cum loco cf. quae de *Oceani* commenticia notione, poëtas refellens, dicit II. 23. IV. 8. 36. Atqui quo longius occidentem versus procedimus, eo minus promovendos esse fines septentrionales apparet, eoque obscurior fit terrarum cognitio, vel potius fama de iis fabulosa perlata, donec in nostris fere sedibus plane evanescit. Inspicias modo, quae de *Istri*, e *Celtorum* finibus oriundi, fonte deque eius cursu superiore, fluminibusque in eum exeuntibus scribit II. 33. IV. 49; quaeque III. 115 in universum de Europa occidentali: περὶ δὲ τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ τῶν πρὸς ἑσπέρην ἐσχατιέων ἔχω μὲν οὐκ ἀτρεκέως λέγειν· οὔτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέκομαι Ἠριδανόν [129]) τινα καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορῆν ἄνεμον, ἀπ' ὅτευ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾷν λόγος ἐστί, οὔτε νήσους οἶδα Κασσιτερίδας ἐούσας, ἐκ τῶν

129) Cf. supra p. 72. n. 68.

ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ κ. τ. λ. — Ne in *Illyriam* quidem ex Epiro eum transiisse, ullus locus testimonio est; certe non ultra *Apolloniam*, qua in urbe affuisse eum probabile fit ex IX. 93. *Enetos* vel *Venetos*, Illyricum populum, non se adiisse ipse satis declarat loco paullo ante (p. 137) enotato: V. 9 et I. 196, ubi scribit: τῷ (sc. νόμῳ) καὶ Ἰλλυρίων Ἐνετοὺς πυνθάνομαι χρῆσθαι. Nec omnino superioris et mediae *Italiae* (licet Italiae nomen haud ita raro apud Nostrum inveniatur[130]) paullo accuratiorem notitiam usquam prodit; Romae, cuius quidem futura magnitudo in incunabulis tunc iacebat, nullam facit mentionem.

Subsistimus igitur iam in iis locis, ubi ipsius Herodoti vitam substitisse vidimus: *inferiorem* dico *Italiam*, sive *Magnam Graeciam*. Neque tamen opus est ea hic repetere documenta, quibus partim extrinsecus, partim ex ipso scriptore petitis, supra (cap. IV.) probavimus, Thurios eum demigrasse, indeque in vicinas Magnae Graeciae urbes excurrisse. Sufficiet locos indicasse: IV. 99 (de *Iapygia* universe, *Brindisio*, *Tarento*), IV. 15. de *Metaponto*: τάδε δὲ οἶδα Μεταποντίνοισι τοῖσι ἐν Ἰταλίῃ συγκυρήσαντα κ. τ. λ. — ὡς ἐγὼ συμβαλλόμενος ἐν Προκονυήσῳ τε καὶ Μεταποντίῳ εὗρισκον· Μεταποντῖ-

130) Eo autem nomine apud Nostrum et aequales atque antiquiores scriptores ubique Italiae australem tantummodo partem significari, monuit *Bredow* in Geographiae et Uranologiae Herodoteae speciminibus. Helmstad. 1804. Cf. Soph. Antig. v. 1106. ed. Herm. ibique Bothium.

νοί φασι κ. τ. λ. — καὶ νῦν ἔστηκε ἀνδριὰς ἐπωνυμίην ἔχων Ἀριστιέω παρ' αὐτῷ τῷ ἀγάλματι τοῦ Ἀπόλλωνος κ. τ. λ.; V. 44. 45. de *Sybari* et *Crotone*: — ὡς λέγουσι Συβαρῖται κ. τ. λ et mox: ταῦτα μέν νυν Συβαρῖται λέγουσι· — Κροτωνιῆται δέ φασι κ. τ. λ. et 45: Μαρτύρια δὲ τουτέων ἑκάτερος ἀποδεικνύουσι τάδε· Συβαρῖται μὲν τέμενός τε καὶ νηὸν ἑόντα παρὰ τὸν ξηρὸν Κρᾶθιν (de hoc fluvio cf. I. 145, ubi Achaeorum urbes recensens ad *Aegas* annotat: ἐν τῇ Κρᾶθις ποταμὸς ἀενναός ἐστι, ἀπὸ τοῦ ὁ ἐν Ἰταλίῃ ποταμὸς τὸ οὔνομα ἔσχε) — οἱ δ' αὖ Κροτωνιῆται ἀποδεικνῦσι Καλλίῃ μὲν τῷ Ἠλείῳ ἐξαίρετα ἐν γῇ τῇ Κροτωνιήτιδι πολλὰ δοθέντα, τὰ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι ἐνέμοντο οἱ Καλλιέω ἀπόγονοι κ. τ. λ. Adde de Crotone III. 131 sqq. impr. 137. 138. Videtur tamen nonnisi maritimas Magnae Graeciae urbes, praecipue eas, quae in sinu Tarentino fuere, visitasse, nave videlicet per oram circumvectus. In interiorem terram penetrasse, nullum exstat indicium.

In *Siciliam* vero traiecisse Nostrum[131]), eo verisimile fit, quod aliquoties Siculorum utitur testimonio: VII. 153 fin.: ὁ δὲ λέγεται πρὸς τῆς Σικελίης τῶν οἰκητόρων — πεφυκέναι θηλυδρίης τε καὶ μαλακώτερος ἀνήρ· et VII. 165: λέγεται δὲ καὶ τάδε ὑπὸ τῶν ἐν Σικελίῃ οἰκημένων κ. τ. λ. Praeterea *Egestam* (V. 47.) *Zanclen* (VI. 25: Σάμιοι δὲ πόλιν καλλίστην Ζάγκλην περιεβαλέατο), *Syracusas* (VII. 167: τρόπῳ εἴτε τοιούτῳ, ὡς Φοίνικες λέγουσι, εἴτε ἑτέρῳ,

131) Cf. Dahlmann. p. 55.

ὡς Συρηκούσιοι), *Camicum* (VII. 170: Κάμικον, τὴν κατ' ἐμὲ Ἀκραγαντῖνοι ἐνέμοντο) ita commemorat, ut idem eo confirmari videatur. — *Sardiniam* autem non ab ipso spectatam fuisse, certum est, quippe quam ter (I. 170. V. 106. VI. 2.) omnium insularum maximam dicat.[132]) Nec omnino ultra Siciliam putandus est mare permeasse.

Absoluto nunc toto itinerum Herodoti cursu, quae porrigi vidimus inde ab *Euphrate* urbibusque *Susis* et *Ecbatanis* terraque *Colchide* usque ad *Siciliam* ac fortasse *Carthaginem*, indeque ab *Elephantine* insula usque ad *Istrum Pontique Euxini* oram septentrionalem: nihil restat, quod in quaestionem vocetur, nisi itinerum istorum *ordo*, temporis, quo quaeque facta sunt, respectu habito. Quae quaestio vereor ut unquam liquide possit explicari. Equidem quae subinde in superioribus huc spectantia, variis e rationibus collecta, obiter notavi, hic unum in conspectum complexus acquiescam. Vidimus igitur, primum probabiliter in *Asiam* pedem Nostrum intulisse, idque iter confectum fuisse ante Olymp. 81. s. a. Chr. 456; inde in *Graeciam* transvectum, post celebrem illam Olympicam praelectionem habitam, annos ferme decem aut amplius tum in Graecia adiacentibusque *Europae* terris, tum in *Africa* perlustranda consumpsisse, ex Africa autem, aut tunc primum, aut iterum, in *Syriam* et *Palaestinam* excurrisse; deinde aliquot annos, eosque illius

132) Cf. Dahlmann l. l.

seriei postremos *Athenis* transegisse, ubi circiter Olymp. 83. a. 3, qui est 446. a. Chr., alteram videtur instituisse recitationem, undeque paucis post annis *Thurios* in Magnam Graeciam decessit, qua secunda in patria vita defunctus est. — Europaeum an Africanum iter, utrum prius fecerit, sicut omnino singula ac specialia, in medio relinquenda censeo. Non enim ingenii exercendi caussa vana ac ficticia, quamvis speciosa, consectari (ut fere fecit Larcherus in itinerum ordine stabiliendo l. l. p. LXX sqq.), sed vera eruere atque omnino veritatem pro virili parte provehere mihi proposui.

TYPIS TROWITZSCH ET FILII.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Gh 44.441.30
Quaestiones Herodoteae.
Widener Library
005734377
3 2044 085 121 242